SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id425781240/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id425781240/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

DISSERTATIO SOLEMNIS
DE

# CVRA MINI-MORVM

A

# PHILOSOPHIS NON NEGLIGENDA,

QVAM

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

## DOMINO CAROLO

PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBVRGICO, RELIQVA,

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

## IO. FRIDEMANN SCHNEIDER

DOCTORE ET PROFESSORE,

h. t. DECANO,

*PRO MAGISTRI PHILOSOPHIÆ HONORIBVS RITE IMPETRANDIS*

A. D. XIV. AVGVSTI A. MDCCXVII.

PVBLICE DEFENDET

## MATHIAS Ritter

BONA-CELLENSIS SVEVVS.

---

*HALÆ MAGDEBVRGICÆ,*
Typis JOHANNIS GRVNERI, Academ. Typogr.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id425781240/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

B. C. D.

# DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

NEceſſariam eſſe minimorum curam tam ſecundum naturæ, quam artis ordinem probatur §. I.

Minima æſtimantur ex relatione ad quantitatem, quæ duplex: una Phyſica; altera moralis. Vnde varia deſcendunt minimorum genera §. II.

Dubium de iudicio, circa talem relationem variante, a Jo. Clerico motum, ſolvitur diſtinctione inter relationem a parte rei, & a parte iudicii ſpectatam §. III.

Diviſio minimorum in homogenea adducta & exemplis illuſtrata eſt §. IV.

Cura minimorum Philoſophis vindicata, ea removetur, quæ a Philologis, itemque a Notariis Publicis Imperatoris Maximiliani I. iuſſu, obſervanda eſt §. V.

Cura minimorum a Kabbaliſtis adhibita expenditur, non tamen circa practicam, ſed theoreticam Kabbalam, cuius noviſſimum exemplum una cum iudicio Dn. Jablonſcki adductum eſt. §. VI.

Scholaſticorum cura minimorum examinatur ſecundum materiam, occaſionem, cauſas exemplum & ſimilia, eaque rurſus excluditur. §. VII.

Minimorum curam non eſſe negligendam a Philoſophis ex ordine tum naturæ, tum doctrinæ probatur. §. VIII.

Argumenta minimorum curæ obiecta refutantur. Quorum (1) a defectu efficaciæ, qui in quantitate occurrit. Reſp. 1) per diſtinctionem inter quantitatem molis & virtutis: quarum illa conditio; hæc etiam cauſa eſt efficaciæ 2) datur inſtantia a tempore, cuius momenta minima, Aſtronomi, Icti & Philoſophi curant. 3) cura minimorum parit certam cognitionem, ideo penitus inefficax non eſt. Tauri Philoſophi ſententia de mortis momento refutatur. §. IX.

(2) a comparatione petitum eſt, inter Prætorem & Philoſophum inita Reſp. 1. Philoſophiæ normam non eſſe iuriſprudentiam. Inde falſa hypotheſis huius comparationis ab Henelio relata exploditur. 2) Adiecta eſt diſtinctio inter remedia iuris extraordinaria & ordinaria, quorum illa negligunt, hæc exigunt curam minimorum. Philoſophi in ordinariis ſaltim minima curare ſolent. 3) Nova diſtinctio inter reſciſſionem & conſervationem negotii adfertur. 4) Ratio differentiæ inſerta eſt, cur minima Philoſophi potius, quam Iurisconſulti curare ſoleant §. X.

(3) a paroemia Germanorum Wenig ſchadet wenig. Reſp. Per diſtinctionem inter minima ſeorſim & collectim conſiderata, quæ exemplis aliaque Germanorum paroemia illuſtratur. Deinde diſtinctio de minimis homogeneis & heterogeneis repetitur & refutatio hæc variis quoque exemplis adplicatur §. XI.

Nominatim vero in Logica commendatur minimorum cura circa ideas falſas. Hinc errorem dari in prima mentis operatione, probatur (1) ab oppoſito, ſc. veritate (2) ab entibus rationis, eventu & fundamento deſtitutis (3) ab incommodo, quod adverſam ſententiam premit. Solvitur (1) obiect. quod prima mentis operatio in terminorum adprehenſione conſiſtat. Qua occaſione D. Titius notatur, qui perceptionem exiſtentiæ a prima mentis operatione excluſit. Cauſæ etiam falſarum idearum referuntur (1) anguſtia intellectus (2) proclivitas plura ſibi imaginandi, quam diiudicandi (4) vehementia adfectuum, quæ illuſtratur exemplo voluptuoſi. Solvitur (2) obiect. de attentione, non concilianda promiſcua ope adfectuum §. XII.

Ex minimis corrumpuntur iudicia (1) in mente, quoad adplicationem idearum incongruarum tam in iudicio diſcretivo, quam deciſivo. Talis corruptio illuſtra-

tur

tur e neglecta cura minimorum in Philosophia sectaria tam Platonica, quam Aristotelica. (2) in externa propositione, quoad huius terminos. Hinc de copula remissive. Neglecta vero cura minimorum produxit errores (a) circa qualitatem propositionum, ut in confusione infinitarum cum negantibus. Quo nomine Morisanus & D. Buddeus adducti. Itemque subtilitas Burgersdickii depulsa est. (b) circa quantitatem propositionum, quæ ex subiecto, non ex signo æstimanda. Quæ doctrina exemplis, tam Theologico, quam iuridico, declaratur & ab obiectione defenditur, demonstrato simul harum propositionum usu in emendatione intellectus; inprimis de valore propositionum generalium in iurisprudentia disquiritur. Denique de modalium & exponibilium usu tam in Theologicis, quam iuridicis controversiis agitur. §. XIII.

Neglectam minimorum curam multum nocere in ratiocinatione, probatur (1) a regula. dato uno absurdo, plura sequuntur (2) a causis. Quarum intuitu Philosophi sibi caveant (a) a falso probandi principio (b) a concessione vel minimi absurdi (c) a pertinacia circa errorem semel commissum. Vnde etiam impedimenta circa confessionem minimi absurdi dependent. Exemplae quatuor sectis sub Antonino imperatore Romæ receptis proponuntur. Ex Platonica de anima mundi: Ex Aristotelica de cœca voluntate: Ex Stoica de absoluta hominis in semet ipsum potestate: Ex Epicuræa de mortalitate animæ. Obiectio de veri ex falsis illatione, solvitur per distinctionem inter necessariam & fortuitam illationem, quarum posterior gemino syllogismo artificiali confirmatur. Remedia duo contra fugam absurdorum præscripta, exemplo ex Hobbesii Philosophia corroborantur. §. XIV.

Vtilitas ex observata minimorum cura in interpretatione ostenditur (1) regula; in obscuris minimum sequendum (2) exemplis. Quorum unum ab obscura promissione privati circa operariorum mercedem. Ex qua promissorem ad minimam obligari, probatur (1) a culpa operariorum, clarius contractum hunc non ineuntium. (2) a sensu humanæ imbecillitatis. (3) a parsimoniæ studio (4) a coniectura voluntatis, quæ vim expressæ intentionis habet. Sequuntur obiectiones (α) a denegatione mercedis. Resp. A statu controversiæ aliena est. (β) a sententia media. Resp. In extremis eligenda est, non in indifferentibus. Alia exempla de sententiis obscuris proponuntur circa pœnas, ut amputationem manus, multam, & relegationem indefinitam. §. XV.

In Ethica minimorum cura non negligenda est quoad circumstantias, quarum varietas non evertit certitudinem rerum moralium. Quæ contra Aristotelicos & ab his seductum Grotium defenditur. Burnathi obiect. (1) quod circumstantiæ non constituant actus humanos, solvitur per distinctionem, sub qua in genere naturæ & morum considerantur. (2) quod magis & minus non varient speciem. Resp. repetita distinctione inter minima homogenea & heterogenea. Illustratur exemplis de furto rei minimæ, de ludo eiusque consuetudine, & Arethusii tenacitate laudabili circa cultum idololatricum §. XVI.

In virtutis studio minimas quoque circumstantias observandas esse, probatur (1) ex virtutis indole (2) materia eius (3) norma (4) fine. Aristotelicorum error de mediocritate refutatur. Obiect. (1) a comparatione scientiæ petita, avertitur partim distinctione inter perfectionem partium & graduum. (2) ab effectu, quod scrupulos iniiciat conscientiæ. Resp. Cura minimorum aliam esse in præceptis, aliam in permissis, quarum huic, non illi tribuitur talis effectus. §. XVII.

Minimorum cura in delictis expenditur (1) in relatione ad legem (2) in examine circumstantiarum; priore sensu nullum peccatum esse minimum, ostenditur; posteriore sensu notantur Covarruvias & Moralistæ. Quorum hi circa furtum rei minimæ in tres sententias scinduntur; ut neutra tamen electione digna sit. Falsa hypothesis, qua singula nituntur, sive Theologica est, de peccato veniali ex natura sua, quæ remissive adducitur; sive Philosophica, delictum minimum ex parvitate obiecti esse æstimandum, non ex oppositione ad legem, corrigitur. Obiect. (1) de intentione bona minuente delictum, examinatur, & ad absurdum deducitur. (2) de gradibus legum exhibet delicta imparia; non tamen eo sensu, quo Moralistæ putant, minima §. XVIII.

Qua occasione duo errores vitandi sunt: unus in studio præcisitatis, cuius descriptio, causæ & origo, item effectus, exemplum in gente Hispanorum, referuntur Obiect. (1) a specie mali & fuga scandali, restringitur ad minimas res præceptas, itemque ad scandala data. (2) de occasione mali fugienda & universa hominis vita reformanda, conceditur quidem, sed eo modo, quem Præcisiani præscribunt, non perficitur. Exempla inferuntur, quæ in Anglia & Belgio ansam studio præcisitatis dederunt. §. XIX.

Alter errorum est laxæ probabilitatis, cuius effectus breviter indicatur quoad conscientiam. Tamburini sententia de minima probabilitate eligenda excutitur. Hinc a Gonzalezio orta & a recentissimis recepta est divisio inter Probabilistas & Probabilioristas, his a statu controversiæ exclusis, cum illis certamen remansit. Minima probabilitas explicatur, eius falsum principium indicatur e Diana & Palao de incertitudine rerum moralium. Obiectio, cui conscientia probabilis locum fecit, refellitur ex distinctione (α) inter intrinsecam & extrinsecam probabilitatem (β) inter officia communia & imperfecta, & inter specialia & perfecta. Ciceronis iudicium laudatur. Et concursus opinionum electius subiicitur; una cum eius adplicatione. §. XX.

De electione minimi mali, cuius causa excitatur (1) regula (2) divisio inter malum culpæ, pœnæ & miseriæ. Priore a statu controversiæ remoto; duo posteriora mali genera ita adplicantur, ut in malo pœnæ ad nocentem, & in malo miseriæ ad casum necessitatis fiat restrictio. Ratione mali culpæ Steuberus refutatur, qui electionem minoris delicti permisit, sub duabus limitationibus, quæ examinantur discusso tam Lothi exemplo, quam Augustini testimonio. Ad malum pœnæ fit progressus & adlegatur ratio; cur innocenti ne minimum quidem eligendum sit, addito de Principe Condæo exemplo. Denique de malis miseriæ adfertur ratio, quod ex illis minimum optandum sit. §. XXI.

De minimis latentium adfectuum signis, quorum divisio & usus. Ad facta vero magis fortuita, quam deliberata: deinde quæ ex inclinatione, non ex imitatione: denique ad ea, quæ ex beneplacito potius, quam ex officii necessitate fiunt, attendendum erit. Obiectio a temperamento eruta dissipatur. Senecæ testimonium de minimis adfectuum signis laudatur. De Signis Physiognomicis, cum quoad habitum corporis, tum quoad faciem agitur. Maxime vero de signis e fronte capiendis. Duo Regum exempla, unum de Agide; alterum de Pyrrho hoc nomine commendatur §. XXII.

De minimorum cura in Politica, Physica & Pneumatica non negligenda fit remissio, adiecta conclusione §. XXIII.

B. C. D.

*B. C. D.*

# DISSERTATIONIS SOLEMNIS *DE* CVRA MINIMORVM A PHILOSOPHIS NON NEGLIGENDA,

## §. I.

PHilosophi, quibus *minimorum cura* sordet, non vera, sed falsa, eaque vulgi opinione imbuti sunt. *Minima* illi adspernantur, sine quibus ad *maxima* vix ulli aditus patuit. Unde tali philosophandi ratione, æquis rerum æstimatoribus, se nunquam probare potuerunt, quia multum ad provehendam rerum scientiam conducit, si in *minimis* obviisque *rebus* diligentiam suam occupent Philosophi. Natura enim, aut potius opifex eius, cuius ordinem ipsi amplectuntur, non in *magnificis* tantum, sed & vilioribus *minimisque* suis operibus meretur admirationem. Quamvis ergo præsens meditatio *minima* so-

lum præ se ferat, eorumque *curam* commendet; nihilominus quidquid ex eis hauriendum atque deducendum erit, illico in ipsis rerum argumentis valet *minimi*. Neque enim aliter vel ars, quæ naturæ æmula est, vel ipsa prudentia, procedere possunt, quam ut ex *minimis* eruere *maxima* promtæ sint atque paratæ. Quam ob causam nemo mihi curam, de *minimis* susceptam, vitio vertet, licet maximis unice intentus sit negotiis. In primis si, occasione ita ferente, probe perpenderit, insigniora documenta & exempla, ex variis Philosophiæ partibus conquisita, quæ *curam* hanc non vanam fore, liquido demonstrabunt.

§. II.

*Minima* ipsa in se continent quandam relationem, quam metiri *quantitate* necesse est, cum fundamenti loco hæc præstruatur. Neque *minimorum* simplicitas impedit, quo minus eorum diversa sit conditio. Relatione enim urgente, vel *naturali*, vel *morali* æstimationi subiiciuntur, quarum utraque modo a *recta* dirigitur, modo a *corrupta* ratione depravatur. Illius directionis adiuvandæ, & depravationis huius vitandæ gratia, *minima*, quæ demum cunque fuerint, ad duplicem refero *quantitatem*. Quarum una est, quæ *physica* aut *mathematica* dicitur, quam *numerus*, *pondus* & *mensura* definiunt. Altera, quæ *quantitas moralis* vocatur, quam *valor* designat. Atque hæc in rebus pretium, in personis existimationem, in actionibus meritum constituit. De *physica quantitate* Philosophi omnes copiose disseruerunt; *moralem*, quod sciam, ante Samuelem Pufendorfium *in Lib. I. de J. N. & G. cap. I. §. 22. seq. & Lib. eod. cap. VIII. tot. itemque Lib. V. cap. I. ac denique Lib. VIII. cap. V.* nemo clarius atque utilius explicuit, ac proinde dignus, cuius vestigiis insistam.

§. III.

Cum vero intercedente relatione æstimentur *minima*, illa curæ horum maxime obstare, a Philosophis videtur. Relatio enim innititur iudiciis intellectus nostri, quorum tanta est diversitas, ut *maximum* iudicetur uni, quod alteri *minimum*: eximium vocetur, quod alteri vile reputatur. vid. Jo. Clericus *in Logic. Pr. I. cap. IV. §. 5. 7 & 8.* Ad dubium hoc facilis erit responsio, si opportune expen-

pendatur, relationem illam *a parte rerum*, in quibus fundata est, *non a parte iudiciorum*, a quibus formatur, inspiciendā ac diiudicandam esse. Quod enim tanta sit iudiciorum humanorum inter se discrepantia, *causa* eius latet vel *in intellectu*, vel *in voluntate*, non in rebus ipsis. Ratione vero *intellectus* exigit relatio *exactum* in homine *iudicium*, quo in plurimis deficiente, mirum non est paullo ante dictum admitti errorem. Nam relationem præcedit rerum comparatio, quæ secundum earum naturam, efficaciam ac præstantiam instituta, sine *iudicio discretivo*, eoque adcuratissimo vix perfici potest. Quod si in *voluntate* accedat *pravus adfectus*, quem intellectus sequitur, rerum inter se relatio perverti debet. Isto enim impellente, non ex *internis* rerum *modis*, sed ex illis, quæ *externæ* sunt *circumstantiæ*, intellectus suscipit comparationem. Sic naturam suam homines, luxuriæ dediti, non *paucis* ac *minimis*, sed *maximis* volunt contentam esse: ac divitem putant, non qui satis habet etiam *in minimis*, sed qui multa, licet superflua, possidet. Maximi ergo faciendum est illud Senecæ iudicium contra Philosophos *curam minimorum* negligentes *in ep. XVI. Si*, inquit, *ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum* (seu minimum) *natura desiderat, opinio immensum.* Quibus ita præmissis, *curam minimorum*, non tam ex relatione, quam humanum, idque corruptum, suggerit iudicium, quam ex ea, quæ a rebus ipsis coorta est, in posterum æstimabo.

§. IV.

Postquam relatio illa *minimorum* non ex fundamento suo tantum explicata, sed & eius causa aliorum dissensus refutatus est: proximum erit, *divisionem* addidisse, usu eamdem postulante. Sunt autem *minima* vel *homogenea* seu similia, quæ eiusdē sunt indolis cum maioribus. Unde horum æque ratio habetur, atque magnorum, ex Philosophorum regula: *Quæ ratio inest maioribus rebus, illa etiam militat in minimis.* Ita minimum delictū respectu legis prohibentis non datur, licet intuitu rei prohibitæ tale esse videatur. Et si quis parvus nequam adpellatur, propterea improborum turbæ haut exemtus est. Iudice enim Seneca in ep. LXXIX. *Bonitas non est, pessimis esse meliorem.* Ex diverso *minima heterogenea* s. dissimilia dicuntur, quæ distinctæ sunt na-

turæ ab illis, quibus cum cohærent. Hinc eorum tanta ratio non habetur, quamdiu conſtat, ea rem per ſe non attingere. Sic mangones margaritarum non abiiciunt, quas ſuffuſcas invenerunt, aut minimo puluiſculo a conchis adſperſas, ſed easdem maiori cura tractare ac purgare ſolent, donec candori ac nitori ſuo, in quo dos omnis margaritarum ſubſiſtit, reſtituantur: ac deinde cum Plinio *ex Lib. IX. H. N. cap. XXXV.* de iisdem ſibi gratulari poſſint: *quod principium culmenque omnium rerum pretii margaritæ teneant.* Neque Germani noſtri circa hanc diviſionem hallucinati fuerunt, quando de *minimis homogeneis* dixerunt: Ein kleiner Gewinn und offt ſey beſſer/als ein groſſer Gewinn und ſelten. Si enim, invitante parſimonia, *minimum* addatur *puſillo*, tandem quoque non contemnendus cumulus efficiſ poteſt. De *heterogeneis* vero *minimis* intelligendum eſt eorum proverbium, quod nusquam non circumfertur: Ein mahl ſchade nicht. *Minimæ* enim *maculæ* in cute, eæque gentilitiæ, quia eius culpa, cuius adficiunt corpus, non contractæ ſunt, imputari nequeunt, ſecundum ea, quæ prolixe ac docte tradidit Pufendorfius *in Lib. I. de J. N. & G. cap. V. §. 7.* adeoque a Philoſophis, *curam in minimis* non negligentibus, ad matris imaginationem reiectæ, leguntur.

## §. V.

De Philoſophis autem, eorumque *cura in minimis* agi, non ex fronte ſolum diſſertationis meæ patet, ſed ex iis etiam, quæ idemtidem a me repetita ſunt. Hinc *cura minimorum*, quam Philologi obſervant, in præſenti excluditur, aut ſaltim illuſtrandi cauſa adducitur. Quamvis me non fugiat, quam neceſſaria illis ſit *minimorum*, ut ſyllabarum, litterarum, accentuum ſimiliumque obſervatio. Sive de puritate ſermonis, ſive de inventione veri ſenſus ſint ſolliciti, *minimorum cura* ab eisdem non negligenda eſt. Hinc interpolata vel vocula, vel corrupta littera, ſcripti ſenſum perturbat, quia ſenſus eſt vocum ſignificatio ab autore intenta in integra & pura oratione, quam corruptio & interpolatio maxime violat. Liceat mihi pace optimorum Philologorum, unicum huius *curæ* exemplum proferre e ſeptuagintavirali verſione, *Prov. VIII. com. 22.* ubi verbum ἔκτισε permutatur cum verbo ἔκτησε, unica litterula & mutationem hanc provehente, &

Arrio

Arrio palliandi erroris ſui occaſionem ſuppeditante. Vid. B. Cellarius *in Diſſert. de LXX. Interpretibus* §. *XIX. ſeqq.* Quare non eſt, quod *minima* hæc *curæ* Philologorum ſubducantur, quibus ad perveſtiganda negotia maxima, & confodiendos errores craſſiſſimos via panditur. in primis ſi attendatur, quod ad talem *minimorum curam* Imperator Maximilianus I., lata lege, Notarios publicos conſtrinxerit his verbis *in der Notariat-Ordnung* §. 20. Dann leichtlich zu Zeiten mit einen Wort / einer Syllben / ja zu Zeiten mit Buchſtaben geſchehn mag / ut ſcilicet ſenſus corrumpatur geſti negotii *Conf. l. c.* §. *21.* ideo Notarius publicus ſua manu & protocollum extendat, & ex eodem inſtrumentum transſcribat. Satis de *cura minimorum* a Philologo & Notario publico non negligenda, quæ illuſtrare debuit inſtitutum meum. Ego interim ad Philoſophos revertar.

## §. VI.

Dum Philoſophis vindicavi *curam minimorum*, non ſedet propoſitum animi, eorum nomine vel *Kabbaliſtas* Judæorum, vel *Scholaſticos* inter Pontificios intellexiſſe. De Scholaſticis §. *VII. ſequente* paullo uberius diſſeram, utpote qui *minimis* præter neceſſitatem indulſiſſe, recte arguuntur. In præſenti vero Kabbaliſtarum habiturus ſum rationem, ut conſtare poſit, quanta ipſorum circa *minima* ſit *cura*. Nam judæi, *Kabbalæ* notitia imbuti, de *occulta*, eaque nimis profunda, *Philoſophia* ſibi gratulantur. Hanc a DEO Moſem accepiſſe in monte Sinai, iactant, ad poſteros propagandam; unde Salomonem *Kabbalam* repetiiſſe, & Esdram eandem ad ſummum perfectionis apicem deduxiſſe. Cum autem duplex ſit Iudæorum *Kabbala*, huius explicatio, antequam iudicium proferatur, paucis præmittenda erit. Una igitur *practica* eſt, beneficio cuius Iudæi, tantæ addicti doctrinæ, miranda ſe præſtare poſſe non gloriantur modo, ſed & pro viribus ſuis pertentant. Quæ ut curam in rebus magnis defigit, ne dicam de craſſa ſuperſtitione, qua infecta eſt, ita huc illam pertinere abnuo. Altera, quam *theoreticam* adpellant, cuius ope ex litteris tranſpoſitis in numerum reſolutis, vel alio modo mutatis, aut ex vocibus, punctis, accentibusque muſicis arcana quædam eruere ſatagunt propius ad ſcopum meum accedit, quia, *curam*

*minimis* ita impendentes Kabbaliſtæ, exinde *maxima* educere conantur. Verum cura hæc, quaticumque eam tam veteres, quam recentiores Judæorum æſtiment, magis *Philologis*, quam *Philoſophis* debetur, quibus gloriæ ducitur, in eo interpretandi, aut divinandi potius, genere haut levem collocaſſe operam. In qua ſententia præ ceteris ſummus Theologus, linguæ ac rerum Iudaicarum callentiſſimus vir, Daniel Erneſtus Jablonscki, me confirmat. Etenim hic occaſionem nactus erat de ſpecimine quodam *Kabbalæ*, quod ſub auſpicium Pruſſici regni MDCCI. Auguſtiſſimo ac Potentiſſimo Regi, Friderico, immortalis memoriæ, ſubiectiſſime conſecraverat Simon Wolff Brandes, Iudæus Berolinenſis, mentem ſuam declarandi, iuſſu quoque Regio accedente. Quem, una cum reliquis circumſtantiis ſcripti, titulus ſatis oſtendit: Bedencken und hierdurch veranlaſſete zufällige Gedancken über Simon Wolff Brandes/ Schutz-Juden in Berlin/ ſo genannte Entdeckung der geheimnen Weiſſagung Davids in XXI. Pſalm/ auf allergnädigſten Königlichen Special-Befehl abgefaſſet/ und in Druck gegeben von Daniel Ernſt Jablonscki Sr. Königl. Majeſtat in Preuſſen Hoff-Prediger. Tanti igitur Theologi iudicium de *Kabbala*, licet aliquanto prolixum ſit, cum paucorum manibus, quod ſciam, opuſculum hoc circumferatur, huc adſcribere, mecum decreui ut omnibus pateat ratio, cur a præſente lite, quam *minimotum cura* excitavit, Kabbalam quoque *theoreticam* excluſam velim. Sic vero prudentiſſimus Vir illud ediſſerit *p. 1.* Die Juden ſind/ ſeyd der letztern Zerſtörung Jeruſalems/ derer realen ſtudien in Erkäntnüß natürlicher Dinge/ der Matheſis, Hiſtorie, und dergleichen faſt gäntzlich entblöſſet geweſen/ und haben/ nächſt ihrer ſcrupulöſen Rechts-Gelartheit/ ihren Witz meiſtens geübet in gewiſſen Kabbaliſtiſchen Subtilitäten/ beſtehend in anagrammatiſchen Buchſtab-Verſetzungen der Worte/ in Zuſammenſetzung der erſten oder letzten Buchſtaben etlicher Wörter/ und Vornehmlich in Auß-Rechnung der Zahl in einem oder mehrern Worten/ gleichwie in unſern chronoſtichis zu geſchehen Pfleget/ wezu aber die Juden mehr Gelegenheit haben als wir/weil bey uns nur ſieben Buchſtaben (I. V. X. L. C. D. M.), bey ihnen aber alle und jede/ die Bedeutung einer gewiſſen Zahl haben. Wenn nun es ſich trifft/ das ein/zwey/ oder

(nach

(nach Bewandniß der Sache) mehr Worte/ mit andern in der Zahl übereinkommen/ und daher etwas sinnreiches und artiges heraus gebracht wird/ bedünckte sich der Erfünder darinn etwas sonderliches præstiret zu haben/ und werden dergleichen Erfindungen bey dieses Nation admiriret: Auch wohl zu Erklärung Heil. Schrifft/ und Theologischer Lehr-Puncten angewendet; wovon diejenigen/ welche von der Kabbala geschrieben/ viele Exempel anführen. Dergleichen ist auch deß Simon Wolff Erfindung/da Er durch eine Sinnreiche Be-Rechnung des 21. Psalms/ welcher ohne dem ein rechter Königs Psalm ist/ die hohe Person/ unsers Allerdurchlauchtigsten Königes/ nebst der Zeit und Ort dessen Krönung ausgefunden. Atque hæc dicta sufficiant de Kabbala, pleniorem eius cognitionem desideranti proderit lectio *Kabbalæ denudatæ*, quam Christianns Knorrius a Rosenroth edidit, cui iungi potest D. Jo. Francisci Buddei introductio ad *historiam Philosophiae Ebraeorum*, & qui hypotheses huius sub examen revocat Jo, Georgius Wachter in *Elucidario Cabalastico*.

§. VII.

Neque pluris facienda est *cura minimorum* quam *Scholastici* inter Pontificios *Philosophi* idemtidem susceperunt, utpote qui quæstionum *minutiis* scientiarum frangere robur non erubescunt. Quamvis enim non contemnendum habuerunt propositum, ut humanum intellectum emendarent; mediis tamen parum congruis illud ad eventum perduxerunt. Cum *minutos* quosque *scrupulos* eximere, captiunculas expedire & levissimas dubitationes solvere, summopere contenderent. Hinc accidit, ut speculationes, distinctiones & controversiæ eorum, ita sint comparatæ, ut pervertere quidem, non tamen intellectum perficere possint. Huius enim cogitationes sine re vanas, sine numero vagas atque multas, sine ordine irregulares, & propter continuas easque *minutissimas lites* turbulentas ac confusas reddiderunt. Aranearum telis haut absimilem effecerunt doctrinam suam, quæ tenuitate fili operisque admirabiles, sed quod ad usum attinet, & frivolas & inanes pertexunt. vid. Baco de Verulamio *in Lib. I, de Aug. Scient. p. m. 17. & 18.* Licet ergo *Scholastici* ingenii perspicacia excellerent; nihilominus hanc, sentiendi libertate destituti, adhibere

hibere non potuerunt, nisi ad ea videnda, quæ in aliorum dictis saltim reprehendere valerent, scrutinium ipsarum rerum excludente *cæca obedientia*, qua sedi Romanæ se a tenera ætate mancipaverunt. Neque diligentia in artium cultura Scholasticis ex voto cedere potuit, cum in tempus illud inciderent, quo crassa sermonis barbaries omnia obscuraret. Tantum abest, ut dissentiendi modestia ab Hug. Grotio *in Lib. de J. b. & p. Proleg.* §. *LII.* summopere laudata eisdem inserviret adversus *inutilem minimorum curam*, pruritu disputandi ac contradicendi inter eos levissima de causa effervescente. Atqui talem exitum sortitur intempestivum non tam disputandi, quam altercandi studium. Nempe ut, amissa veritate, pertinaces illi disputatores, cum in adversario, cuius refutationem sibi semel destinaverunt, omnia etiam vera impugnent, tandem ad verborum minutias pervenire debeant. Cum enim, veritate utriusque mentem convincente, in re ipsa consentire eos oporteat: hac convictione nihil impediente, verbis adhuc discrepare inter se contendunt. Deinde argumenta, quæ stilo contentioso scribuntur, obscura redduntur, ira officiente, quominus verba clara eligi possint. Hinc etiam accidit, ut vehementes disputatores se minus explicare valeant. Denique viri eruditione insignes haut raro ab obscuris hominibus lacessuntur, qui cum propter ingenii imbecillitatem in re ipsa nihil inveniant, quod opponere queant; sibi tamen sufficit, ut vel verbis adversarium fingant, cui negotium aliquod facesserent, ut proinde illis ex Comico adclamare liceat: *Fecistis probe, incertior sum multum, quam dudum.* Ne vero exemplo quis destituatur, illud de *universalibus* in medium proferam, de quibus tam Thomistæ, quam Scotistæ statuunt illa esse *realia*: & priores quidem extra mentem; posteriores in mente humana illorum existentiam quærunt. Sed his accesserunt a Guilielmo Occamo invecti Nominales, quæ universalia *nuda nomina* esse perhibuerunt. Quemadmodum hi, ad scholæ ac grammaticæ subtilitatem confugientes, calculum inter Scholasticos vix obtinere potuerunt, sed a *Realibus* pro verbis verbera, & pro syllogismis saxa aliquando in Heidelbergensi Academia reportarunt, narrante Aventino *in Lib. VI. Annal. Boic. ad ann. 1364.* ita nonnulli Thomistas & Scotistas inter se conciliare voluerunt, ope distinctionis adhibita,

hibita, inter *convenientiam formalem* & *fundamentalem* universalium cum individuis suis vid. Philippus a Sanctissima Trinitate *in Summa Phil. Pr. I. qu. 3. cum seqq.* Georgius de Rhada *in controv. inter Thom. & Scot. agit. 20.* quarum illa in cognitione ac idea; hæc in re ipsa & extra cognitionem existat. Unde etiam paullo post *Realium* & *Formalium* nomina introducta fuerunt, controversia non sublata, sed acrius inter Scholasticos excitata. Ex his igitur sententiis, quæ Scotistarum est, præferenda erit, utpote quæ ad *veritatem* propius accedit, cum Thomistæ ad *fictionem* confugere debeant, eoque nomine a Jo. Clerico *in P. I. Logic. cap. VI. §. 10.* reprehenduntur: quod *ideas simplices & abstractas seorsim esse putarint Scholasticorũ nonnulli.* De principio individuationis, de conservatione generis in specie monadica, aliisque liticulis nihil superaddam, ne ipse *curam minimorum vanam* vel cepisse vel probasse videar. Per me Scholastici in *minimorum* istis figmentis se se oblectent, mihi ea curæ cordique erunt, quæ in rerum argumentis in dies occurrunt. Diu est, quo alios docendo, ipse didicerim in addiscendis artibus opus esse diligentia, nec *nimia*, nec *minima*. Quia *nimia* artes obscurat, ut patet de *Scholasticis*, *minima* eas funditus evertit, ut elucet in *empiricis*.

§. VIII.

Atque hanc, quæ in rebus ipsis obtinet, *curam minimorum* a Philosophis non negligendam, sed in primis adhibendam esse tam *naturæ*, quam *doctrinæ* ordo clare demonstrant. Equidem *naturæ* ordo, quo illa ab imperfectis, sub quibus *minimæ* etiam rerum partes comprehenduntur, ad perfecta progreditur, ad *curam minimorum* deducit. Adeo vero hic progressus ex quottidiana experientia certus est ac manifestus, ut rerum omnium hospites esse oporteat, qui illum ignorare velint. In aliquibus tamen dubitabundo feram ex Philosophia suppetias, *minimorum curam* commendante, quam singulas quoque eius partes serio intendisse, paullo post ex ipsarum inductione ostendam. Neq; aliter evenit secundum *doctrinæ* ordinem, quippe qui adcuratus atque utilis esse nequit, nisi a simplicibus, seu *minimis* inchoet, & ad composita seu *maxima* evehatur. Ita Logica ab ideis capit initium, quarum inter se inita comparatione, relatione &

connexione, demum producitur iudicium. Simili ratione Ethica ex circumſtantiis cuiusque facti examen ſuſcipit, quarum *minima* motalitatem eius mutare poteſt. *Minima* ſæpe ſunt ſemina, e quibus Phyſica maximum corpus promittit, ſpem promiſſoris eventu raro deſtituente. Ecquis levis eſt ceſpes, quin DEum eiusque providentiam probet? *Minimam* quoq; occaſionem quandam in Republica induxiſſe mutationem, dudum obſervarunt Politici. Et quamvis penes me tanti non fiat Ariſtotelis autoritas, ut ei adſenſum meum facile tribuam; nihilominus quia hac in parte non diſcesſit a veritatis tramite, eius veſtigia legere nemo ſectariæ, ſed eclecticæ potius Philoſophiæ, a me intentæ adſcribet. Ita vero in artium tractaione requirit *curam minimorũ in Lib. I. Oeconom. cap. II.* inquiens: Πρῶτον ἐκ τοῖς ἐλαχίςοις ἡ Φύσις ἑκάςȣ θεορεῖται. Neque, aliam reliquorum Philoſophorum mentem fuiſſe, nunc pluribus perſequar, cum ad *curam minimorum* in qualibet Philoſophiæ parte non negligendam, ordinis modo dicti filo ducente pervenero. *vid. §. XII. ſeqq.*

§. IX.

Antequam vero promiſſi huius fidem exſolvam, neceſſarium erit atque conſultum, ea removere argumenta, quæ *curæ minimorum*, a Philoſophis non negligendæ, ultro citroque obiici poſſunt. Quorum præcipuum, quod quantitatis nulla ſit vis & efficacia: Ergo *cura minimorum* a Philoſophis negligi queat. Reſp. Regula illa Philoſophorum facile conciliari poteſt cum *cura minimorum*, modo repetatur ex §. *II.* diſtinctio inter *quantitatem molis* ac *virtutis*. Quæ *virtutis* eſſe dicitur, quo minus efficaciam ſuam habeat, nihil impedit, experientia eandem confirmante in exemplis, quæ ſubiicientur. De *quantitate* vero *molis* acrius paullo incidit certamen, in primis ſi huius origo, quam a *materia* habet, probe conſideretur. Quæ ut *principium paſſivum* eſt, ita cauſa efficaciæ & operationis eſſe nequit, niſi pro *conditione ſine qua non* eamdem venditare alicui arrideat. Intuitu huius alii Philoſophi, non minore ſibi prælucente experientia, adſeruerunt, in maiori quantitae maiorem fore virtutem, viel helffe viel; at in ea adſertione, haut raro etiam eventu ſpem illudente, nihil officit *minimorum curæ*, a Philoſophis obſervandæ: Sic in gigante quanti valet moles ac virium robur, tanti in nano æſtimari

ſtimari debet aſtutia ac ſolertia: ut damnum quod ille vi; hic aſtu inferre promtus ſit atque paratus. Hinc dicunt Germani: Klein und unnütze. Quæ vero de *cura minimorum* vindicanda in medium protuli, ea omnium optime ad tempus accomodari poſſunt, ad *minima momenta* redactum Philoſophorum conſilio. Licet enim nihil a tempore fiat; cum tamen nihil non fiat in tempore, & *minima* eius *momenta* curare Philoſophi ſoleant. Unde Aſtronomi inter eos, huic *curæ* ſedulo indulgentes, quamlibet horam dividunt in partes quasque *minimas*, usque ad individuas, ut in LX. *minutias*, quarum ſingulas viciſſim in *duas* ſecant *portiunculas*, easque *ſecundas* adpellant. Claro argumento, quamvis effectricem vim nullam habere videatur *quantitas*; nihilominus exinde ortam *minimorum curam* haut negligendam eſſe, a Philoſophis, quia ad cognitionis humanæ certitudinem valde conducit. Pulcre conſularis orator, Cicero, *in Philipp. 2.* id commodi inculcaviſſe videtur: *Attende*, inquiens, *& cognitionem ſobrii hominis ad temporis punctum ſuſcipe.* Neque Juris conſulti mihi refragantur, etiamſi alias, in hac *minimorum cura* non parum adverſi eſſe, a Philoſophis deprehenduntur. *vid. §. X. ſeqq.* Quoties in negotiis, cum onere gravi, aut odio coniunctis, computationem temporis *de momento ad momentum* inſtituunt, ut in uſucapione, privilegio hypothecæ, definitione maioris ætatis, aliisque probatu facillimum foret, niſi limites meos tranſilire, mihi ducam religioni. Qua mente indico magis, quam evolvo quæſtionem illam in Tauri Platonici Philoſophi convivio diſceptatam, quam legere licet penes Aulum Gellium *Noct. Att. Lib. VI. cap. XIII.* de primo eoque *minimo* mortis *momento*, num ad vitam potius, quam ad mortem iſtud referendum ſit? Curanti id, quod *minimum* ſupereſt, vitæ adhuc tribuet, tum quia inter vitam ac mortem non datur medium, tum quia actus moriendi non mors eſt, ſed illud negotium, quod in vita mortem proxime antecedit, tum denique quia contrariæ ſententiæ defenſores, quæ in confinio terminorum poſita ſunt, pro iisdem terminis habuerunt, quod adeo alienum eſt ab omni ratione, ac ſi quis ſtatuere velit, inter ens & non ens dari medium aliquod aut confinium, quod utrinque reductum ſit. Conf. Danielis Voëtii *Diſſertatio cui titulum*, præſcripſit, *quando moriens*

*riens moriatur*, quæ in *fine oper. posthum.* patris sui, Gisberti Voëtii, adnexa est *p. m. 262. seqq.* Interim mihi liceat iudicio Senecæ litem hanc componere ex ep. XLIX. *Punctum est*, ait, *quod vivimus & adhuc puncto minus: sed hoc minimum specie quadam longioris spatii natura divisit.*

§. X.

Alterum succedit argumentum, quod a Prætore *minima non curentur*, ideo vero sit similius, ut Philosophis quoque *minimorum curam* negligere liceat. Resp. Forum non est in omnibus norma scholæ: nec *Iurisprudentia* præscribit sive contemplandi, sive agendi *regulam Philosophiae.* Dudum errore convictos esse, percepi, qui Jurisprudentiam *dominae*, & Philosophiam *ancillae* inficete magis, quam vere comparaverunt, apud Christianum Henelium *in Stat. Mercurial. Sect. I. Part. Post. cap. IV.* Nam si ulli indulgendum est comparationi, duæ *sorores* sunt, sibi æquales, quarum neutra alteri subiicitur, sed ambæ inter se amice conspirant. Impediente illam subiectionem recta ratione, cuius principia utraque in studio tam veritatis, quam veri similitudinis sequitur. Fac ergo a *Praetore* interdum negligi *minima*, *curam* horum præscindente litium multitudine, aut a iurisprudentia *minima* non æque attendi. Id eventurum puto in *remediis* iurium *extraordinariis*. salva *minimorum* attentione in *ordinariis*, itemque in *substantialibus* & *formalibus* negotii civilis, manente. Inde tamen non video, quomodo hæc *minimorum curam*, Philosophis præscriptam atque impositam, impedire queant ac evertere, utpote qui in ipso tam *naturae*, quam *artis* ordine *minima* eruunt atque investigant. *vid. praec. §. IIX.* Inter ceteros illud discrimen Cicero, penes quem omne Philosophorum decus stetit, præclare exposuit *in lib. III. de Offic.* his verbis: *Aliter leges, aliter Philosophi tollunt astutias; leges quatenus tenere manu res possunt, Philosophi quatenus ratione & intelligentia.* Accedit, quod Prætor *minima curare* nolit circa *rescissionem* actus in se liciti; aliud statuendo de *imputatione* ac *restitutione* damni, quod ex actu illicito profectum est, uti præter alios Iuris consultos luculente damnum *in minimo* reparandum esse decernit Julius Paulus in *L. 22. pr. in fin. D. de dam. infect.* Tanta igitur

igitur non eſt diſſenſio, quanta inter Juriumconſultos & Philoſophos circa *minimorum curam* interceſſiſſe videbatur. Quoties enim Juriſconſulti bene docent, in toto & partem continere, præeunte Gaio *in L. 113. D. de R. J.* Itemque Pontifex Bonifacius VIII. plus ſemper in ſe comprehendere, quod minus eſt, ac proinde, cui licet, quod eſt plus, licere utique, quod eſt minus, ut arguit ac concludit *in cap. XXXV. & LIII. X. de Reg. Jur. in vito,* nihil aliud intendunt; quam *minimorum curam* in civilibus etiam negotiis adhibendam eſſe. Hinc tantum abeſt, ut Philoſophos *ab hac cura* ſeduxerint, ut potius invitaverint ad ſui imitationem. Quam ob *curam* conſuli maxime debent Andreas Tiraquellus, Neapolitanus JCtus, *in Lib. de Judicio in parvis cauſis ferendo*; eamque ſecutus e Germanis Theodorus Sprenger *in libr. de Modico* aliique, quos huc excitaſſe, nec opus eſt, nec otium. *Minima* inſuper, quæ Juriſconſulti non curant, *ultra iuris ordinem* ſunt, quoniam ex recepta ſemel Politicorum ſententia iura humana, ſenſu imbecillitatis communis impellente, ad *punctum* redigi nequeunt. Immo ſi ad id Legum conditores, aut interpretes reducant negotia humana, non *Phyſicum* vel mathematicum, ſed *morale* erit, quod latitudinem quandam admittit, fatente Hugone Grotio *in Lib. I. de J. b. & p. cap. II. §. VIII. n. 4.* Tutius namque cenſent, a rigore nimio ſibi temperare, ne ſummum ius *in minimis* fiat ſumma iniuria. Animadvertunt chordas, nimis intenſas diffindi, & arcum ſupra modum extenſum rumpi. Ex diverſo Philoſophi, in *naturae* iuxta ac *artis ordine* occupati, *minima* propterea *negligere* non poſſunt, quia in utroque *ordine* ea ut partes ac principia rerum inſpiciunt, tractant atque æſtimant.

§. XI.

Tertium, quod a paroemia Germanorum depromunt adverſæ ſententiæ patroni, huc redit: Wenig ſchadet wenig, cum nihil & *minimum* inter ſe quaſi æquiparentur, ideoque *curam minimorum* a Philoſophis non obſervandam, ſed negligendam eſſe, exiſtimant. Reſp. Principio optarem, ut Philoſophi pari ſolertia ac induſtria paroemias ſuas collegiſſent atque declaraſſent, qua Iuriſconſulti, duce D. Hertio *in Tr. de iure paræmiarum iuridicarum*, ac Medici adiutore D. Baiero in variis diſſertationibus *de proverbiis Medicis* ſuas

quisque congessit, rebus temporibusque nostris accommodavit. Quo tamen defectu nihil impediente, ad nexum paroemiæ cum instituto meo nunc progrediar. Quid *minus* est aquæ gutta? quæ durissimum lapidem excavare potest, non vi unoque actu & impetu, sed sæpe cadendo: id quod, exemplum Philosopho *minima curanti*, eorumque damnum aut commodum consideranti sufficiet. In *minimis* enim, quæ non nocent singula, nihilominus collecta nocent. Hinc iidem Germani prioris paræmiæ inventores, & hanc quoque responsionis loco prodidisse memoriæ videntur: Wo viel kleine Bächlein zusammen fliessen, da entstehet ein Fluß, welcher einen Damm durchbrechen kan. Sicut *minimi* numeri aliis additi, illos multiplicant, & ipsimet multiplicantur; ita in aliis rebus *minimis* usu venire, satis animadvertitur. Neque est, quod aliquis dicat, in *minimis homogeneis* tale provenire nocumentum, quod in *hetorogeneis* cessaret, de quibus paroemia intelligenda foret. Verum neminem fugit, *minimam* veneni *partem* corpus inficere, & pro ratione circumstantiarum præsentissimum mortis periculum adferre, ceu pluribus tam rationibus, quam exemplis celeberr. Consil. & Archiater D. Stahlius ostendit *in Opusc. Chym. Physic. Med. de Veneno febrifugo nequissimo p. 417. seqq.* Ecquis porro nescit, *minimam* fermenti partem protinus totam massam occupare? Conf. D. Mathias Tilingius *in lib. de Fermentat. cap. VII. quaest. I. seqq.* Frustra igitur *minimum* & *nihil* inter se æquiparantur. Cum nihil quidquam tam *minimum* sit, quin ad alterius perniciem valeat. Musculus unicus isque *minutissimus*, si fides adhibenda est iis, qui historiam animalium conscripserunt, tanti valet, ut elephanti animantium maximo horrorem incutiat, omnemque ipsi excutiat vigorem. Et a cane *non magno* sæpe teneri aprum, Poeta quidem cecinit, sed venatore, id ipsum experientia artis suæ comprobante, ut *minima* nocere vel hoc exemplo constare possit. Magna enim non ubique *magni*: nec *minima* ubique *minimi* valere; sed suam quandoque magnis *parvitatem*, suam *minimis* magnitudinem esse, illi Philosophi norunt, qui *minimorum curam* haut neglexerunt.

§. XII.

Excuſſis itaque argumentis, quæ a *minimorum cura* Philoſophos dimovere poterant, id pro viribus meis adgrediar, quod *ſupra* §. *VIII.* me præſtiturum, ſancte promiſi. Scilicet, per inſigniores Philoſophiæ partes tranſeundo, in eis *curam minimorum* circa res præcipuas vindicabo a neglectu, quem huc usque perpeſſæ ſunt. Philoſophia enim, uti pars ſapientiæ eſt, nemine diffitente, *res ſerias* & *neceſſarias* tractare debet. Initium vero facturus ſum a *Logica*, quæ *operationes* humani *intellectus* dirigit, easque redigit in ordinem, & ab erroribus liberare conatur. Hinc maxime intereſt *Logici*, *curam minimorum* haut neglexiſſe. Qua impellente in rerum perceptione, ope *idearum* facta probe diſpiciat, ne falſas ſubſtituat pro veris, ſe aliosque decipientes. Novi quidem, in *prima mentis operatione* aliquos *Logicorum*, negaſſe, *errorem* dari. Quorum plures in certamen hoc educere poſſem, niſi brevitati mihi litandum foret, penitus etiam perſuaſo, cum *ſententiis*, non cum *hominibus* eſſe certandum. Quare miſſa eorum excitatione, intrepide adfirmo, ut in *prima mentis operatione*, ſeu in ipſa *ideæ perceptione* datur veritas, ita in eadem falſitatem ac *errorem* offendi, uno oppoſitorum alterius inventionem & cognitionem iuvante. Deinde dantur *entia rationis*, & *ideæ* ſimplices, quibus eventus & fundamentum in ipſo rerum ordine nec convenit, nec convenire poteſt, claro documento, quod in *prima & minima mentis operatione errores* occurrant. Ac denique ſi in ſimplicibus *ideis error* ſubrepere nequit, in ceteris mentis operationibus, ut in iudiciis & ratiocinationibus, minime recurret, utpote quæ ex ſimplicium *idearum* relatione, connexione, ſeparatione & illatione formantur. Supinæ ergo negligentiæ *circa minima* accuſandi ſunt Philoſophi, qui adverſam tuentur ſententiam, falſæ innixi hypotheſi, *primam mentis operationem tantum in ſimplicium terminorum adprehenſione verſari.* Qua ſemel electa *ideas rerum* confuderunt *cum ideis ſignorum*, atque adeo *Logicam* e numero realium diſciplinarum eximentes, ad intellectus emendationem plane ineptam reddiderunt. Neque obſtat, *Logicam ideas* earumque perceptionem cum aliis communicare non poſſe ſine *terminis:* Ergo horum, etiamſi *minimorum*, *curam* non negligendam

eſſe

esse a Philosopho. Resp. *Logica* semel iterumque intellectus emendationi destinata est, non tam de *terminis*, quam potius de *ideis* sollicita esse debet. Signa sunt, non res ipsæ. Ecquis, nucleo abiecto, vescitur cortice? Accedit, quod admodum inconveniens sit adsertu, intellectus *primam operationem* nihil speculari, nisi voces. Linguam hæ instruunt, ut caute loquatur, non perficiunt intellectum, cuius causa *veræ ideæ* commendantur. Quamvis vero in *Logica* hac *minimorum cura* mecum consentiat D. Titius *in Arte cogit. cap. V.* §. *23.* nihilominus frustra sugillare ausus est Illustr. Dn. Thomasium, qui *in Introduct. ad Philosoph. Aulic. cap. V.* §. *9.* & in der Einleitung zur Vernufft-Lehre *cap. III.* §. *70.* & *76. primam* mentis *operationem* circa rerum *existentiam* occupatam esse statuit. Qua adsertione in *minimorum cura* mihi nil quidquam neglexisse videtur, modo observetur discrimen inter res *naturales* & *morales*, quæ *ideis* subiiciuntur: in illis cogitatio atque *idea* de rerum *existentia* præcedit, sensu ad productionem eius multum conferente; in his *idea essentiae* præmittenda est, eamque excipit ac sequitur *idea* existentiæ. vid. D. Præses *in Fundam. Phil. Rat. cap. VII.* §. *8. n. 11.* Ratio differentiæ hæc est, quia res *naturales* prius existunt, quam cognoscuntur, at *morales* prius cognoscuntur, quam ut in nobis existant: illic naturæ, hic doctrinæ ordine prævalente. Quibus etiam expeditis, non possum mihi temperare, quin eorum Philosophorum improbem negligentiam, qui causas *falsarum idearum* omiserunt, ac si *minimæ* istæ essent, minus dignæ, quas *curæ suæ* consecrarent. Est autem ex eis *non minima*, intellectus humani *angustia*, multum impediens, ne omnes circumstantias ad efformandam *veram* cuiusque rei *ideam* necessarias prævidere ac percipere possit. Neque tamen hanc corrigit protinus, sed longe gravius corrumpit *proclivitas* plura sibi *imaginandi*, quam *diiudicandi*, unde tot fabulæ Poëtarum, illepidi ioci conversantium, aliæque *otiosæ mentis ideæ* duxerunt originem suam. Quas causas si non ubique præcedit, semper tamen eis intervenit *vehementia* pravorum *adfectuum*. Homines enim his satis facturi, ea tantum curant, quæ animum suum male adfectum explere possunt, reliquas res omnes negligunt, *minimas*, inanes atque ineptas esse clamitant. Sit aliquis voluptate præditus, ille

res

res ſerias, ut moleſtas ſibi repræſentabit in intellectu, falſa idea deluſo. Doctorem quoque nactus, inſulſis iocis utentem, ſingulas res non ſub *idea* hac conſiderat, ut exiſtunt, ſed uti ſub ridiculis circumſtantiis exhibentur, non alia, quam culpa ſua, qua *curam minimæ ideæ* contemſit, id damni ſentit, ut intellectus diſtrahatur, ſeducatur & ab uno errore in alterum coniiciatur. Neque officit dictis meis, homines a natura ad delectationem propendere, ideoque iocis indulgendum eſſe doctori, niſi *neglectae curae circa minima*, quæ attentionem conciliare valent, argui velit. Reſp. Longe alia eſſe conciliandæ attentionis remedia, *Logicæ* interpretes paſſim docent, ut iocis non indigeant. Tales enim proponuntur aut *emendatis*, aut *nondum emendatis:* Si illis, attentionem deminuent, quorum intereſt, eam fugere dementiam, qua *ſuperflua* diſcuntur in tanta temporis egeſtate, ubi ne quidem *neceſſariis* ſe ſufficere, optime intelligunt, monitore Seneca id urgent *ex ep. CIX. in fin: Nunc doce, quod neceſſe eſt.* Sin nondum emendatis, intellectum horum utut corrigere videantur, quia conſtantiam quandam cogitationum pariunt, ſed non ad *veras* rerum *ideas* ſibi comparandas, quin potius ad alendum, conſervandum & excuſandum pravum adfectum. Unde damnum & periculum, quod ex vanis iocis imminet, maius eſt, quam quod ex eis attentionis remedium ſperare liceat. *Cuius* enim *iſta errores minuent? cuius cupiditates prement?* non piget me rurſus e Seneca percontari *in Lib. de Brevit. vit. cap. XIV.*

§. XIII.

In *iudiciis* æque ac *ratiocinationibus*, quæ ceteras intellectus humani operationes conſtituunt, pariter *minimorum cura* a Philoſophis non negligenda eſt. Equidem in iudiciis nihil frequentius accidit, quam ut ex *minimis* corrumpantur. In ipſo enim intellectu perficiuntur ex ideis, interveniente earum coniunctione ac ſeparatione: quarum illa ad *deciſivum*, hæc ad *diſcretivum* iudicium pertinet. Simul ut vero ideæ falſæ pro veris, ambiguæ pro certis, obſcuræ pro claris ſubſtituuntur ac uſurpantur, corruptum naſci ſolet iudicium. Nam error, quantus quantus etiam extiterit, cognitionem intellectus non penitus tollit, ſed falſis ideis eamdem occupat.

*Conf. §. præced. XII.* Ideoque *minima*, quæ in errorem præcipitaverunt, *cum cura* perveſtiganda ſunt. Iam vero quod in iudicio mente retento eſt idea, in propoſitione, id ipſum exprimente, quælibet eius pars eſt. Unde qui ideas *incongruas* coniungit, aut inter ſe *congruas* ſeparat, ille iudicium intellectus ſui hoc facto depravat. Sic pagani Philoſophi, ut divinæ revelationis, ita lapſus ignari culpa ſua, *corpus* humanum ut *cauſam erroris* ſibi repræſentarunt. In primis illi, qui a Pythagora, Platone ac Stoicis Philoſophis ſeducti, hominem *ſola anima* abſolvi ſtatuerunt, de quibus prolixe diſſeruit Petrus Daniel Huetius *in Quaeſt. Alnetan. Lib. III. cap. XI.* Ex diverſo Ariſtoteles cum adſeclis ſuis, quaſi mediam viam elegerint, præ ſe ferentes, ſpectrum illud in Philoſophia excitaverunt, nempe *adpetitum ſenſitivum*, a voluntate diſtinctum ac ſeparatum. Quemadmodum ergo priores Philoſophi in *coniunctione*; ita poſteriores in *ſeparatione*, præiudicium ſuum ſatis ſuperque declaraverunt. Neque minor in propoſitionibus ſingulorum *terminorum* habenda eſt ratio, quorum alii ideas, alii earum inter ſe connexionem explicant, ne error incautis obrepere queat. Omiſſis autem, quæ circa *copulam* propoſitionum ſæpiuſcule commotæ ſunt, controverſiis, collectis ac docte evolutis a B. Chriſtophoro Henrico Lœbero in *Diſp. de copula enunciationis categoricae*, ea attingam, quæ minoris æſtimata fuerunt a Logicæ interpretibus, etſi maximis erroribus in omni artium genere anſam præbuerunt. Equidem multos mihi offendere licuit, qui propoſitiones, *ſenſu adfirmantes* pro negativis habuerunt, ex neglecta *minimae* vocis eiusque ſitus cura. Ita Bernhardus Moriſanus *in Diſp. Logic. VIII. quaeſt. V.* propoſitiones infinitas inter negantes retulit, cum tamen ſano ſenſu ad adfirmantes pertineant. Quocum facere videtur D. Buddeus *in Phil. Inſtr. P. III. c. II. §. 29.* Verum quia particula negativa in tali propoſitione pars modo ſubiecti, modo prædicati eſſe ſolet, ideo propoſitionem ſibi ſimilem ac negantem efficere nequit, niſi iuſtum teneat locum, vel in ſigno lateat, vel ante copulam collocetur. Hinc ſyllogiſmi artificiales, minorem propoſitionem infinitam habentes, in prima figura recte concludunt, quia non negans, ſed adfirmans eſt propoſitio, ut ex dictis adpaet. Neq; cum Franciſco Burgersdicio *in Lib. II. Inſt. Logic. cap. XI. n. 2.*

ad ſub-

ad ſubtilitatem hanc confugere opus erit, ac ſi talis Syllogiſmus vi diſpoſitionis, & accedente converſione per contrapoſitionem, in ſecunda figura concludat. Dudum eſt, quod D. Præſes *in Fundam. Phil. Rat. cap. X. Sect. IV.* §. 5. oſtendit, ſi in diſputatione utendum eſſet Syllogiſmo, primam eius figuram fore ſufficientem, adeoque corruit ſubtilior, quam utilior illa reductio primæ ad ſecundam figuram, ut diſcrimen inter propoſitionem infinitam ac negantem indagetur. Quantum errorem pepererit in S. Theologia neglectus huius diſcriminis circa lapſum Adami, B. D. Jo. Adam. Oſiander *in Syſt. Theolog. P. I. Loc. V. th. 16. in primis in reſpon. ad arg. p. 278. & Loc. cit. th. 27.* adcurate tradidit. De Iuriſprudentia, idem obſervante, agit D. Adrian. Beier in *Logica Juridica Lib. I. cap. III.* Ex *minimis* quoque dependet error, quem circa *quantitatem* propoſitionum committunt Logici, neglecto *ſubiecto*, illam ex *ſignis* dignoſcentes, & proinde propoſitionem pro univerſali venditantes, quæ tamen revera particularis eſt. Cum ergo ex *ſubiecto* propoſitionum æſtimanda ſit *quantitas*, non ex *ſigno* præpoſito, tanti valebit quælibet propoſitio, quantum eſt *ſubiectum* eius. Ex dictis nunc patebit, quid de ſententia Samuelis Huberi *de omnium hominum electione*, & de hypotheſi illa quorundam Iurisconſultorum: *aliquod ius eſſe voluntarium*, cenſendum ſit. Interim ſi quis obloqui mihi velit, quæ huc usque propoſuerim, adverſari *praeced.* §. *XI.* ubi a terminorum adprehenſione vindicavi Logicam, in quam denuo coniiciatur, eoque utatur obtentu, quod voces *linguam* emendare poſſint; ſed Logico curæ ſit, *intellectum* perficere. Reſp. A propoſitionum cenſu eadem quoque expectanda eſt emendatio, utpote quæ ad idearum correctionem penetrat. Adfirmantes igitur, ut dixi, propoſitiones decidunt; negantes refutant: illæ veri cognitione imbuunt intellectum; hæ falſi aut erroris evitatione cautum reddunt. Quam ob cauſam in conſtruendis definitionibus his etiam illæ præferuntur. vid. D. Præſes *in Fundam. Philoſoph. Ration. cap. IV.* §. *XI. n.* (1.) Falluntur, qui *curam* hanc *in minimis* verſantem contemnunt, cum ſine obſervata quantitate propoſitionum pari ratione haut procedat intellectus emendatio. Expeditum enim eſt inter Logicos, enunciationes *ſingulares & univerſales* melius emendare intellectum noſtrum, quam *particulares.*

*culares.* Equidem *universales*, quoniam singula exempla inferiora in se includunt; *singulares*, quia omnia exempla contraria excludunt: unde subsumere nihil permittunt, quod cogitationum certitudinem evertat. Sed *particulares* propositiones minus prosunt intellectui, quia vagas reddunt cogitationes. De *indefinitis* pronunciandum est, quod sint ambiguæ secundum quantitatem suam, & exinde pro *conditione subiecti* modo universalibus, modo particularibus æquipollent. Quam curam *minimae differentiae* negligentes Iurisprudentiæ cultores, perperam cum *universalibus* permutant; quos tamen scire oportuisset, nullam legem positivam adeo generalem esse, quin ab exemplis contrariis restrictionem patiatur. Immo si differentiam hanc subtilem aut inutilem reiicere aliquis pertendat, ei ex Jo. Claubergii *Log. Vet. & Nov. Pr. cap. V. §. 32.* respondeo, quod *confusionem intellectus tollat*, mihi sufficere, *nec minus, immo magis ad claram distinctamque rei perceptionem conducat, quam ad Iudaicae alteriusve Reipublicae civis notitiam adquirendam facit, si teneatur ex qua tribu sit.* De modalibus, exclusivis aliisque propositionibus paullo verbosius dicerem, nisi notior sit in his minimarum particularum cura, quam ut ignorari, aut temere negligi queant, usuque earum tam in Theologicis, quam Iuridicis controversiis ubertim se exserente. Sic in iustificationis mysterio, quæ *sola* fide fit: Item in controversis de consensu Parentum in nuptiis liberorum necessario, ubi nec Pontifex Nicolaus *Can. 2. Caus. XXVII. qu. 2.* & Innocentius III. *cap. XXIII. X. de spons.* contradicunt, licet *solum* contrahentium consensum requirant. Aliis exemplis abstineo, ne fines artium confudisse videar. Id vero adhuc in gratiam curæ, pro minimis impendendæ, superaddam, ut maximæ lites vitari possint. Scilicet in modalibus propositionibus, modus gradum eius connexionis, quam prædicatum cum subiecto habet, iudicare debet, & porro particulam exclusivam excludere opposita, non subordinata, memori mente servandum est.

§. XIV.

Ad ratiocinationes, filo ordinis ducente, mihi nunc transeundum erit. Cum a multis retro sæculis observare liceat, quantopere Philosophi, *curam minimi* etiam absurdi negligentes, sibi nocuerint.

Vnde

Vnde non penes Philosophos solum, sed & inter omnes artium interpretes fere abiit in regulam: *quod uno dato absurdo, sequantur infinita.* Et postquam eclecticæ Philosophiæ cultori concessa est libertas, ex omnibus Philosophis optima eligere, nemo mihi vertet vitio, si Aristotelis hic adducam testimonium, quippe qui ceteris hac de re apertius dixisse videtur in *Lib. I. de cœlo cap. V. fol. 265.* Εἴπερ τὸ μικρὸν παραβῆναι, τῆς ἀληθείας ἀφισαμένοις, γίνεται πόρρω μυριοπλάσιον· seu parvus exitus a veritate aberrantibus tandem fit decies millies maior. Idem l. c. repetit: Τὸ ἐν ἀρχῇ μικρὸν, ἐν τῇ τελευτῇ γίνεται παμμέγεθες. Causæ tanti periculi, *ex minimo absurdo* orti, non sunt obscuræ. Primo enim ratiocinatio *ex principiis* deducitur, in quorum ordine *uno ut falso* posito; non potest non fieri, quin *infinita* alia sequantur. Vt rerum series in terrarum orbe, ita idearum ac iudiciorum in mente a se invicem compages dependet. Quapropter si unum iudicium, aut idea aberraverit, quæ sequuntur, eodem modo aberrare debent. Non secus accidit, quam ut, si particula crescentis in arbore rami a solita rectitudine deflectat, protinus aliæ attrahantur, pari modo deflexuræ. Deinde in *vitio* ponitur *absurdum*, ea vero *vitii* est *fœcunditas*, ut brevi tempore infinities augeatur, lolii instar, quod in agris dominatur. Alias in *minimo* errantes mihi viatores æmulari visi sunt, qui licet *modica* deviatione in principio bivii progrediantur, in eadem parum cauti & metæ securi, quam attingere cupiunt, tamen ad *maximam distantiam* abducuntur. Denique in errantibus *circa minima* si non *dementia;* nihilominus magna *pertinacia* deprehenditur, quæ ex *pudore ignorantiae* profecta, & *subtilitatis colore* nusquam non excusata, efficit, ne ad *absurdi*, etiamsi *minimi*, confessionem ac eiurationem perducantur. Hinc dato *uno absurdo*, utique necesse est, ut *plura* id ipsum excipiant, ne quis *in minimo* errasse videatur. Quibus iam lucem fœnerabuntur illa, quæ ex quatuor Philosophorum sectis, a Marco Antonino Imperatore solemni edicto receptis, exempla in medium prolaturus sum, eaque collegi, quæ nostra ætate nondum consopita sunt. Sic Platonici in Pneumatica, *animam mundi* defendentes, quod ex Apuleio etiam *in lib. de mundo* cognoscere licet dogma, alia protrusit *absurda*, quæ DEI omnipotentiam, omni-

præsentiam ac gubernationem destruunt atque evertunt. Adeoque mundum, ut pulcerrimum DEI opificium, sine conservatore hoc atque gubernatore, sed tantum pro nudo spectatore sistunt. Aristotelici eiusque strenui sectatores Scholastici, qui *voluntatem esse potentiam cœcam* asseruerunt, unico, eoque *minimo* absurdo, aliud elicuerunt, quod in rationali anima sit facultas quædam irrationalis. Stoici in Philosophia morali, homini, *absoluta potestate* ac libertate in semet ipsum concessa, ut *minimo absurdo*, abutuntur πρὸς τὴν αὐτοχειρίαν. Ipse Seneca eius erroris arguendus est *in ep. XII.* ubi inquit: *Patent undique ad libertatem viae, multae, breves, faciles.* Quarum metam expressit *in ep. XXVI. Qui mori didicit, servire dedidicit, & supra omnem potentiam est.* Ne vero quem animi pendentem relinquat, *in Lib. III. de Ira. cap. XV.* iter ingressuro medium suppeditat: *Quaeris*, ait, *quod sit ad libertatem iter? Quaelibet in corpore vena.* Neque libertas sola eiusve abusus *dogmatis* huius *absurdi* causa unica est, sed illa etiam hypothesis accedit, quæ §. *XIII.* reiecta, qua *corpus non pro* hominis *parte*, sed *pro ergastulo* animæ venditatur. Adeo interest salutis suæ cupidorum Philosophorum, nec *circa falsa minima curam* suam neglexisse. Restant Epicuræi, quos non puduit, *animam homini mortalem* adfingere, saltim ut populo placerent. At *unico* hoc *absurdo* dato, ex eo *non minima* proveniunt. Anima ergo hominis non differt a brutorum anima: Ergo nulla spes superest futuræ vitæ: Ergo a probis nulla præmia; nec ab improbis pœnæ expectandæ sunt. Taceo, quæ Theologi ex eadem sententia Epicuræa colligunt absurda, a D. Hildebrando collecta *in Tr. de Immortalitate animae humanae.* Neque officit dictis meis, quod *ex falsis* quandoque *verum* inferatur. Resp. Vt infantes ac stulti *vera* loquuntur; ita ex *falsis* infertur *verum*: non studio & consilio, sed *casu.* Duplex enim *illatio* observatur in ratiocinante; una *necessaria*, qua ex *veris* non infertur, nisi *verum*, & vi oppositionis exigente, ex *falsis* non concluditur, nisi *falsum*, conclusione exprimente qualitatem præmissarum suarum: altera est *fortuita*, cum ratione *formae & ordinis* tantum ex falsis præmissis vera conclusio infertur ac colligitur. Ideo ex falsis, quatenus falsa sunt, verum non sequitur; sed quatenus in certum ordinem sunt reducta, Accidit

cidit enim, ut *syllogismus artificialis in forma* & ordine suo *bonus* sit ac verus, *materia* tamen, quam proponit, oppido *falsa* sit vid. D. Præses in *Fundam. Phil. Rat. cap. X. sect. IV.* §. 2. Veniam dabunt lectores rem ipsam illustranti his exemplis. Quorum unum omnis lapis est animal, omnis homo est lapis. Ergo omnis homo est animal. Sit alterum ex Aristotelis Philosophia, cuius hypothesis supra damnata: Cœca est voluntas, Intellectus non est voluntas, Ergo intellectus non est cœcus. Resolvam utrumque, & liquido patebit nullam adesse *connexionem idearum*. Prioris syllogismi quæstio est; Num omnis homo sit animal? Id quod adfirmatur, interveniente hac ratione, quia homo lapis est. Egregia connexio! egregia probandi ratio! Posterioris quæstio est: An inttellectus sit cœcus? Quod negatur ope huius rationis, quia voluntas non est. En miseram *formae syllogisticae* commendationem, si veram ei subtrahas materiam! Verum missa hæc facio, reversus ad *remedium*, quod superfore putatur, idque reperitur partim in *detectione falsi principii*, unde error promanavit, partim in *deductione* pertinacis adversarii, ad ea *incommoda* & *absurda*, quæ sententiam suam premunt. Qua cura opportune a Philosophis *in minimis* etiam adhibita, ad *maxima* pervenient, ut ab errante vel invito adsensum veri extorqueant, ad silentium ipsum redigant, vincant atque convincant. Neque piget me, *remedium* hoc exemplo declarasse. Aliqui cum Hobbesio matri in liberos potestatem potius, quam Patri vindicaturi, laudant loco tituli adquirendi, occupationem. Quantopere vero in *re minima* errent, liquet cum ex *principio falso*, quod præmittunt in statu belli, utpote fundamento iuris tam privati, quam publici, tum *ex absurdo*, quod inde sequitur, ne matres, sed obstetrices illam potestatem habituræ sint: neque dicam, liberos in lucem edi non ut hostes, sed ut hospites. Et quamvis *minimi* sint a nativitate, nihilominus eorum cura a nemine negligenda est, nisi qui omni amore se exuit.

## §. XV.

Si vero usquam *minimorum cura* a Philosophis non negligenda fuit, certe *in interpretatione* hæc maxime requiritur. Neque tamen *vocum* in eisque circumstantiarum *minimarum* observatio mihi curæ erit cordique, quam supra removi §. *V*, ut *Philologiae*, quam

*Philoso-*

*Philosophiae* convenientiorem, sed quæ ad *res ipsas*, aut harum circumstantias, pertingit. Quarum intuitu Philosophi regulam confecerunt, huc adprime spectantem, *quod in obscuris id, quod minimum, sequendum sit.* Atque regula hæc, licet de *minimo* agat, tanti valoris est, ut non in *promissis* modo privatorum, sed in *publicis* etiam *iudiciis* attendatur. De privatorum *promissis* elegantem refert casum Præses Concilii Grationopolitani, Guido Papæus *quaest* 252. ubi nec ex eo, quod actum, nec ex more regionis, nec ex lege superioris constitit, quid conductor operariorum in vinea sua promiserit mercedis loco, cum diceret pastinatum illic euntibus, se pro diurna mercede daturum esse tantum, quantum darent alii cives. Reperitur autem, cives difformem solvisse mercedem, forsan quod aliqui solverint tres, alii quatuor, alii quinque grossos in dies singulos, tunc conductor satisfaciet promisso suo, si tres solverit, præstando in *obscuro contractu* id, quod *minimum* est. Neque operarii habent, quod de illata sibi iniuria merito conqueri possint. Ipsi enim ut operarum locatores, plus exigendo, ab *initio clarius loqui* debuissent. Unde sibi imputabunt damnum, quod faciunt, si minus accipiunt. Iuri naturali quoque convenit, ut contra eum interpretatio fiat, qui apertius mercedem pro labore suo exprimere potuit, tanta *minimi negligentia* tentus, quæ amplior sibi fuisset, eamdem remisisse arguitur. Deinde promissio explicanda est secundum *humanae imbecillitatis sensum*, quo invitante vili conducere & care locare malunt homines: ideo, si posteriores nihil de quantitate mercedis suæ dixerunt, censentur illam intentioni conductoris subiecisse, ut quantacunque foret, ea contenti esse velint. Porro *parsimonia*, ne sera sit in fundo, ubi eius occasio se offert, omnino a patre familias amplectenda est. Cuius mentem adsecuti interpretes, ad liberandum, quam ad obligandum in negotiis eiusmodi onerosis solent proniores esse. Denique *coniectura voluntatis* in contrahente pro expressa est animi intentione, quoties de illa, varietate circumstantiarum impediente, aperte constare non potuit. Quamquam hæ rationes clare decidant ambiguum istud negotium; non tamen tantæ aliquibus esse videntur, quæ dissidium omne tollant. Hinc instare conantur (1) quod *mercedis denegatio* clamitet ad cœlum: Ergo quod *minimum*, in interpretatione

contra-

contractus non sequendum est. Resp. Alia est *mercedis denegatio*, quæ in controversiam non venit; alia est *solutio* eius *in minore summa*, quam ipse operarum locator magis opportuna & clariore conventione avertere potuisset. Ne repetam nauseabundis paullo ante dicta §. IV. Daß ein kleiner Gewinst und offt, besser sey, als ein grosser, und selten. (2) quod *media via* sit eligenda. Ergo non *minimam*, sed *mediocrem*, quatuor grossis constantem, mercedem solvendam esse, existimant. Resp. *Media via* tunc eligitur, quando una ad *excessum*; altera ad *defectum* ducit. De *extremis* enim, quæ in vitio ponuntur, neutrum eligendum esse, moralis Philosophia præscribit. In præsenti ergo sufficit, quod *minimum* in mediocri comprehensum sit. Similis interpretatio in *iudiciis* obtinet, ut in *pœnis*, quæ obscura sententia dictantur, *minima* ad exsecutionem perducatur. Pono aliquem esse condemnatum ad amputationem manus, intelligitur sinistra, quæ amputanda est, quia in *obscuris sequendum, quod minimum est.* Sed manuum agilior est dextra, adeoque huic, non illi, in exsequenda pœna parcendum est. Idem de multa dicendum, si tres sint iudices, unus condemnet reum in quindecim, alter in decem, tertius in quinque: tunc *ex interpretatione & cura minimorum* ista summa de quinque thaleris prævalet: quia omnium *minima* est. Perinde relegatio indefinita, nec de perpetua, nec de decennali accipienda est, sed, *cura minimorum* interpretem admonente, ad biennium reducendam fore, cum aliis pronuntiat D. Berlichius *in Dec. LXIV.* Quo etiam Hugo Grotius respexisse mihi videtur *in lib. II. cap. IV. §. XIIX.* quod *inter dispares sententias mitior vincat.*

§. XVI.

Nullum est dubium, quin *minimorum cura* in Philosophia morali summe necessaria sit, ac proinde a veris Philosophis non negligenda. Inter *minima* vero, quæ ibi explicantur, in primis *circumstantiae* referuntur. De quibus diu multumque recepta est regula, quod *in moralibus circumstantiae etiam minimæ constituant & varient actus.* In huius adplicatione Hugo Grotius *Lib. II. de J. b. & p. cap. XXIII. §. I.* ab Aristotele se passus est seduci, ut de rerum moralium *certitudine* aliquantulum fluctuaret. Parum memor sententiæ suæ, quam *eodem libr. cap. VII. §. II.* professus est, optimas demonstrationes in moralibus a fine peti posse. Ac præterea scire debuisset, illa regula non everti moralium *certitudinem*, quippe quæ non minus; quam in mathematicis disciplinis, a *veris demonstrationibus* dependet, quibus etiam hac in re nihil cedunt, ut præclare defendit Pufendorfius *d. J. N. & G. Lib. I. cap. II. tot.* Interim vero non diffiteor, pruden-

tis Philosophi cura opus esse ac labore, *circumstantiarum* quoque *minimarum*, quæ instabiles ac fluxæ aliis adparent, indolem explorare, easque ad *moralitatis* centrum ita revocare, ut in actibus humanis *connexio* earum tantam, quanta promissa est, *certitudinem* ac *evidentiam* præstare queat. Quo nomine laudem meretur opera D. Rachelii *in Tr. de Principio actionum moral. Disp. II. §. XXIV. seqq.* qua pluribus ostendit, quomodo *circumstantiae*, licet *minimae*, actus moralis naturam constituant eumdemque distinguant, ac in eadem specie aggravent, aut elevent. Nihil quidquam impedientibus eis, quæ a Gilberto Burnatho *Diss. Eth. Lib. I. cap. XVII.* valde opponuntur, quod (1) *circumstantiae* actibus humanis accidant; tantum ergo absit, ut eos constituere possint. Resp. Actus humanus considerari potest duobus modis: Primo *Physice* & in genere *naturae*, tunc concedo, illi *circumstantias* accidere. Sic rei alienæ contrectatio *physica æstimatione* est indifferens, ut bona vel mala fieri possit. *Moraliter* vero & in genere *morum circumstantiae* plane aliam induunt faciem. Vnde actibus humanis *internae* sunt, eosque & constituunt & a se invicem distinguunt. Ita contrectatio rei alienæ animo custodiendi facta est bona, sed animo intercipiendi suscepta, mala evadit. Vterque *valor moralis* non aliunde constituitur, quam a *circumstantiis*, quæ legis ac virtutum præceptis modo conveniunt, modo disconveniunt. Quod (2) profert in medium Burnathus tralatitium est, magis & minus non variare speciem: ideo *curam minimarum circumstantiarum* in actibus moralibus non adeo urgendam esse. Resp. Licet de *minimis homonogeneis* utcunque largiri possim, quod speciem non mutent, gradus ea mutare, mihi suffecerit; nihilominus in *heterogeneis* penitus fallit, cum furtum *rei minimae* non minus verum delictum sit, quam furtum *rei maximae*, maligno furis animo, ex vilitate rei ablatæ, nihil decedente, ut dicetur §. *XIIX. Conf. supr. §. III. IV. & IX.* Neque dissimili ratione Plato aliquem adolescentum Græcorum increpuit, alea ludentem; qui cum responderet Philosopho: Cur me obiurgas, ob *remparvam?* Tunc ille cordate respondit: Αλλὰ τό γε ἔθος σμικρόν. A *minimis* enim adsuescere multum est. Id quod Germani nostri hac paroemia efferunt: An kleinen riemgen lernen die Hunde auch Leder fressen. Extat quoque ad corroborandam responsionem meam aurea vox Marci Arethusii, Martyris, apud Theodor. *Hist. Eccles. Lib. III. cap. VI.* qui iussus conferre sumptum ad restaurationem templi alicuius idolorum, a se destructi, generose respondit: *ad impietatem obulum conferre unum, perinde valet, ac si quis omnia conferat.*

§. XVII.

§. XVII.

Hanc igitur, quæ *minimis circumſtantiis* deſtinata eſt, *curam* virtutis cultor ſedulo obſervet. Nam virtus in amore veri boni, velut in puncto ſuo, conſiſtit. Hug. Grotius *de J. b. & p. Lib. I. cap. II. §. I. collat. Proleg. §. XLII. ſeqq.* Ergo nulla exiſtit, niſi *pura, conſtans* at *perfecta*: tum quia bonum verum ex integra cauſa naſcitur, adeoque egregios vitæ mores inquinat *minima circumſtantia mala*: tum quia pro norma habet Dei voluntatem, pro exemplo quamlibet eius perfectionem: tum quia ſummæ felicitatis, quam aliquis ſibi comparavit, effectus eſt. Qua ſententia ſemel electa ac probata corruunt non Pontificiorum ſolum, ſed & Peripateticorum Philoſophorum *praxi vitae*, & *curae minimorum* adverſæ opiniones. Quorum illi virtutem pro *medio* venditant ſummæ felicitatis, ut eo melius merita bonorum operum tueri poſſint. Peripatetici Philoſophi, vel in *habitu* virtutem collocantes, vel *mediocritate* contenti, nihil egerunt aliud, quam ut otioſos virtute donarent, aut cupidos eius cultores errore ſuo languidos redderent. Neque obſtat, (1) ſcientiam eſſe *imperfectam*; Ergo etiam *virtutem* non poſſe *perfectam* eſſe. Reſp. Primo a ſcientia ad virtutem non valet argumetum, quia hæc non illa procedit a vera felicitate. A *perfecto* autem non eſt, niſi *perfectum* in ſuo genere. Deinde alia *perfectio graduum*, alia *partium* occurrit. Ad *minimorum curam*, a virtutis cultore exactam, hanc adeſſe ſufficit; licet illa pro conditione perſonarum deficiat, quod propter ſtudium vulgo dictæ *praeciſitatis* notandum eſt, de quo §. XIX. dicendi ſe offeret occaſio. Denique cum Seneca *ex ep. LXVI.* adſero; *Decreſcere ſummum bonum non poſſe, nec virtuti ire retro licere: unam eſſe, quae animum rectum & indeclinabilem praeſtet.* Neque (2) *curam minimorum* in virtutis cultura ſuſpectam facit, quod conſcientiam ſcrupuloſam parere videatur. Reſp. Diſtinguenda eſt *cura minimorum* in moralibus circa *praecepta* & *prohibita*, ab ea, quæ circa *indifferentia* & *permiſſa* verſatur: prior non excitat conſcientiam ſcrupuloſam, ſed implet præceptum legis divinæ, de ſpecie mali fugienda (II. Theſſ. V. 15.) ſibique cavet, ne *minimum* præceptorum ſolvens aut transgreſſus, *minimus* ſit in cœlo (Math. V. 18. 19.) Dicitur enim *minimum* præceptum ex Phariſæorum hypotheſi, qui gradus præceptorum faciebant: cum tamen in lege divina omnia præcepta ſint magna, licet obiectorum ratione quædam varietas admittatur *de qua §. XIIX.* diſſeram. Conf. Janus Druſius, *de tribus ſectis Judaeorum Lib. II. tot.* Et quæſo, ſi *minimorum cura* a virtutis cultore *negligenda*, inepte percontatus eſt, Periander, Sapientiſſimus Græcorum apud Stobæum *Serm. I.*

Quid in *minimo* esset *maximum*? Responditque: Bona mens in corpore humano. Cum alias optima virtutis cultura sit in bona conscientia & intentione. Præterea virtutes quasdam esse, omnes norunt, quæ in sui exercitatione *minima* requirunt. Ita enim temperantia præditus animadvertens *paucis minimisque* naturam fore contentam, in eis adquiescit, sibique prospicit, ne, si superfluis urgeat corpus suum, aut iniucundum fiat, quod infuderit, aut noxium. Vid. Boëthius *in Lib. II. de Consol. Phil. Pros. V.* Similiter patientiæ deditus *minimas* fert iniurias, ne repugnando, provocet *maximas*. *Quem fugit, minimas* occasiones magnorum delictorum causam extitisse? Neque satis pudica est femina, de qua *minimum* quæritur, iudice Seneca *Lib. I. Controv. II.* Alia vero est *cura nimia minimorum* in rebus *permissis*, ut de barba non radenda, aut coma minus alenda, de veste diversicolore aliisque. Vid. Gisbertus Voëtius *in Disp. de Excelsis mundi* & Claudius Salmasius *in peculiar. epistola de Coma.* De qua paullo post §. XIX. pluribus agam, ac ostendam hanc conscientiam scrupulosam ceteraque incommoda producturam esse.

§. XIIX.

Neque in *virtutum* cultura solum *minimorum cura* requiritur, sed quam maxime etiam in *delictis* tam fugiendis, quam imputandis. Multorum enim animos invasit hæc sententia, existimantium, *minima* vel non venire in censum delictorum, vel, si pro eisdem habeantur, venia potius, quam censura aut pœna digna videri. Sic facile animadvertitur id, de quo supra dixi §. XIV. quomodo posito absurdorum uno, tam prono pede aberrantes ad plura delabantur. Quare curæ *in minimis* delictis non *negligentiores* esse debent *Philosophi*, quam in ullis negotiis aliis, quæ examinant. Primo enim nondum constat, quid *minimum* illud sit, quod usque adeo in delictis elevatur. Instituta *delicti* ad *legem* comparatione, omnia sunt *maxima*, nullum pro *minimo* reputandum est. *Eventum* expendenti in delictis, haut ægre innotescet, quod eius respectu *minima* pro *maximis* cavenda sint. Quum protinus ad *maiora* progrediatur, cui, *minima* formidare, *curae* non est. *Conf. §. XVI. Minima* delicta se habent, æque ac aqua, perrumpens aggerem, quæ primo per spatia transit angustissima, mox tamen, impetu facto, totum aggerem occupat. Contra *minima* ergo delicta certissimum erit remedium, *principiis* obstare, ne in *maxima* erumpant. Quodsi vero *persona laesa* venit in disceptationem, nova ambiguitas recurrit in *minimis* delictis. Certe, quod delictum uni *minimum*, alteri rursus *maximum* videri potest. Pono iam, pauperculo aliquot nummos erini,

quo-

quorum ereptio intuitu personæ læsæ pro furto *minimo* habendum non est, licet a divite haut pluris æstimetur. Perversum enim iudicium nec rem nec rei æstimationem mutare, certum & expeditum est. Iustissimi itaque Regis Davidis exemplum ante oculos sibi iudices collocent, qui ad unicam quoque & *minimam* agnam extendebat *curam suam*, iubebatque ob furtum eius quadrupli restitutionem *II. Sam. XII. 3.* Dispiciat ex dictis Didacus Covarruvias, quomodo in gente sua se excusare possit, quando *in Lib. I. Var. Resol. c. 3. n. 12.* a periurio illum liberat, qui iusiurandum *rei minimae* adhibitum, non servavit. Falsa enim & pessima est hæc sententia, eoque unice tendit, ut fraus fiat pietati, veritati ac iustitiæ, quæ inculcat, *minima* eiusmodi *curanda non esse*, sed negligi posse cum a iudicibus in foro, tum a Philosophis in schola. Utroque nomine a me compellantur Moralistæ inter Pontificios, qui gloriantur se invenisse, quo *minimum* peccatum censere & a *maximis* discernere queant. Ad *parvitatem* namque *materiæ* & *bonam intentionem* delinquentis confugiunt. Hinc securus tam pravæ observationis Leonhardus Lessius *de J. & J. L. ll. c. XII. n. 4.* temere concludit: Furantem ab uno multa *minima* usque ad notabilem quantitatem, singulas eius ablationes non esse peccata mortalia, sed *minima* & venialia. Cuius vestigia sequitur Hieronymus ab Angesto *Concl. Moral. XX.* ratus: auferentem multa *minima* a pluribus, eo minus delinquere, quo levius sit, quod a diversis abstulerit, nec ulli horum grave damnum dederit. Quos tandem excipit Jo. Medina *in Tr. de Restitut. qu. 10.* iudicando: non esse peccatum mortale furari *minima* a pluribus ea intentione, ut familiam suam, alias egentem, sustentare possit. Vt autem distinctionem inter peccata *mortalia* & *venialia*, a Philosophiæ limitibus alienam, ac S. Theologiæ propriam, quam alio sensu Theologi Protestantes, alio Pontificii declarant, silentio præterveham, vid. B. D. Jo. Olearii *Dissert. de Peccato Theologico & Philosophico.* Nihilominus multis ex causis, quas ipsa ratio largissime suppeditat, iidem Moralistæ ob *neglectam minimorum* delictorum *curam* a me refutandi sunt. Falluntur enim, quoties delictum e. g. furtum, *ex parvitate* vel magnitudine *obiecti* æstimant; cum tamen ex *oppositione ad legem*, quam delinquentes transgrediuntur, adprime spectandum erat, vi cuius satis magna iudicantur delicta, quod lege divina, aut humana, prohibita sunt. Quam prohibitionem deminuere nequit, *bona* delinquentis, *intentio*, quia ut *bonum* omne ex integra causa nasci debet, ut dictum §. *XVII.* ita *malum* ex quovis defectu proficiscitur. Neque facienda sunt *mala*, ut *bona* eveniant. Unde casum ultimo loco adductum secum ponderans. Mo-

raliſtarum non infimus, Stephanus Fagundez in *Decal. Lib. VII. cap. XIII. n. 7.* deſerta ſociorum ſuorum cohorte, diſerte illis contradixit: *non eſt admittenda iniquitas, ut pietas in familiam exerceatur.* Accedit, quod in eodem caſu pariter *intentio* ſit *prava.* Quamvis talis fur intendat familiæ ſuſtentationem; ſimul tamen ac proxime intendit furtum, tamquam medium, finem illum conſequendi, eoque ipſo liquet, pro minuendo furto, perperam adlegari *intentionem bonam.* Neque obſtat (1) *intentionem* eſſe principium actionum humanarum per dicta *ad §. XVI.* ideoque *bona* ſi fuerit, *minimum* delictum reddet. Reſp. Principio ſciendum, *intentionem* non eſſe normam actionum humanarum, ſed ſaltim ad partes conſtituentes pertinere vid. D. Præſid. *Diſp. de Norma actionum human. §. 3.* Deinde *intentio* ſpectatur vel in *relatione ad finem* tantum, vel *in connexione ſua cum mediis:* Priore ſenſu *intentio bona* non confeſtim reddit *opus bonum*, aut *malum* minuit, ſi ceteræ circumſtantiæ legi ſint difformes, e. g. adulterium ex *intentione* conſervandæ familiæ commiſſum; Poſteriore ſenſu *intentionem* definiunt media, quorum adplicatione *prava* ſit *intentio*, quæ *bona* videbatur, ut paullo ante traditum eſt. Denique ſi *bona intentio* efficit delictum *minimum*, vix magnum ſupererit, quia quisque delinquentium præ ſe fert, *bono animo* deliquiſſe. Sic vindictæ cupidus tuetur honorem ſuum, aliorum defraudator indulget conſervationi ſuæ, luxuria diffluens ſe recreat, adeo nemini non obtentus *bonae intentionis* parere debet excuſationem. Neque obſtat (2) quod inter leges *gradus* dentur ratione *obligationis*, nec finem legis divinæ violet oblatio unius nummi, quæ ſalva charitate & amicitia committi poſſit. Reſp. Singula gratis dicuntur & opponuntur. Quamvis enim *gradus* legis dentur, eorumque reſpectu *delicta* committantur *imparia*: inde tamen non ſequitur, dari *minimum delictum*, quod a iudice ac Philoſopho prorſus *negligendum* ſit: utpote qui in comparatione ad legislationem hæc æſtimantes, *maiora* inveniunt, quam, præiudiciis occupati, Moraliſtæ ſibi imaginantur. Quamdiu itaque Moraliſtæ concedunt magis, & minus non variare ſpeciem, tamdiu quoque concedere tenentur, quod *minimum* ſibi videtur, *verum* eſſe *delictum*, non *neglectu*, ſed *imputatione* dignum. Id quod etiam finem legis violat, eo collineantem, ut conditoris *voluntas* impleatur, quocum ne *minimum* delictum quidem conſiſtere poteſt. vid. D. Præſid. *Diſp. de Colliſ. fam. & conſcient.* Fac etiam apud aliquos *minimo* delicto non violari amicitiam & charitatem *actu* ipſo, attamen *merito* id accidit. Unius enim læſi remiſſio ac negligentia, in *cura minimorum delictorum*, admiſſa, aliis æque læſis,

læsis, fraudi esse nequit; cum hic remissionem levis iniuriæ non illicitam, *vid.* §. *XVI.* sæpe vitiet *intentio* remittentis, ut ex osculo nocivo præclare demonstrat D. Matthias Müller in *Diss. de osculo nocivo.*

§. XIX.

Ex quibus manifestum erit omnibus, magna circumspectione *minimorum curam in moralibus* instituendam esse a Philosophis, ne in duos incidant scopulos: quorum unus *praecisitatis*; alter *probabilitatis* est. Ad *praecisitatem* quod attinet, quæ *nimiam* in *minimis*, eisque *indifferentibus*, *curam* requirit, cuius exempla recensui §. *XVII. in fin.* ac necessitati quidem extremæ cedere vetat, e. g. perire, quam membro infecto se privare: Ideo a Philosophis non attendenda, sed reiicienda est. Talis enim *praecisitas moralis* partim ex affectatione studioq; singularitatis ac eminenntiæ præ aliis oritur, quæ certissimum hominis superbi sistit characterem: partim in vanos coniicit scrupulos conscientiam, sibi indulgentē ducit ad desperationem, præposteram vitæ severitatem præcipit, ac optimas rerum agendarum & conservandarum occasiones elabi patitur. Hoc nomine Fammianus Strada in Historia Belgica Hispanos reprehendit *Dec. II. Lib. IX. p. 548.* qui etiam *punctualitate* sua, quam vocant, paroemiæ locum fecerunt: Hispanos post factum sapere. Neque obstant, (1) quæ dixi *ad* §. *XVI.* a specie mali abstinendum esse, *curae minimorum* in moralibus dedito. Resp. Ibi de *praeceptis* locutus sum, non de *permissis*. Deinde species mali duplex est: una ratione *scandali dati*, a qua omnino abstinendum esse, stat sententia; altera ratione *scandali accepti*, quod uti non accidit vitio rei datæ, sed malitia accipientis, ita frustra urgetur abstinentia, ubi alter nihil commeruit, nihil peccavit. Ceteroquin vel ab ipsa virtutis cultura sibi temperandum foret, qua seductores ac adulatores abutuntur. Quis feminam, gratia formæ pollentem, hanc perdere unquam iussit, ne amores lascivorum iuvenum excitaret. Precaria hæc, non vera castitas erit, quam Seneca adumbravit *loc. supr. cit. Lib. I. cont. II.* Neque obstat (2) quod occasionem mali omnem tollat *praecisitas*, ac universam hominis vitam reformet. Resp. *Curam* circa *minima* peccata, eorumque occasionem vitandam, ipse commendavi *in* §. *XIIX.* nec mentem muto. Probe gnarus *minima delicta* cum *maioribus* habere quandam connexionem: Hinc amantem peccandi periculum ab eodem revocavi, ne in illo perire posset. Sed vereor, ut *praecisitas* in horum *minimorum cura* adquiescat, quæ ad actus permissos se extendit, eorumque *minimas circumstantias* sub specie mali prohibet. Quo facto hominis vitam non corrigit ac reformat, sed vana mali formidine impedit ac confundit.

Sic

Sic defensores *praecisitatis*, quos Anglia & Belgium fovet, reiecerunt copiam capillorum, usum capillamentorum, omnem vestium ornatum aliaque, quæ tamen pro licitis nusquam non habentur.

§. XX.

Vt vero *praecisitas*, de qua §. *præced. XIX.* anxiam ac nimis scrupulosam, ita *probabilitas*, ex mente Moralistarum accepta, laxam & securam reddit conscientiam. Ideoque iam occurrit alter scopulus, nempe *tenuissimae*, ut vocant, *probabilitatis*, a quo Philosophis in *cura minimorum* occupatis, maxime cavendum est. Adeo enim progressus est audaciæ Thomas Tamburinus, Jesuita Siculus, ut docere non erubesceret *in Lib. I. ad Dec. cap. III.* opinionem, quantumuis *tenuis* sit *probabilitatis*, modo a finibus *probabilitatis* non exeat, posse prudenter eligi, relicta *probabiliore*, omissa *tutiore*, etiam *communi.* Qua sententia occasionem præbuit, nostro ævo, Moralistis, ut in divortia scinderentur, novasque *probabilitatis* tuendæ causa conderent sectas, autore Thyrso Gonzalezio de Santalla, Generali Jesuitarum, ut refert Josephus Riccius, Neapolitanus Professor, *in Fundam. Theol. Moral. in Praefat.* Harum alia *Probabiliorista rum*; alia *Probabilistarum* est: quorum illi severiorem, hi laxiorem morum disciplinam amplexi, etiamnum prævaluerunt. Unde cum *Probabilistis* tantum mihi conflictandum erit, quorum *tenuissima* seu *minima probabilitas*, a testimonio cuiusque doctoris morum aliqua fama commendati, dependet, ut parum habeant pensi, sive ille ratione probandi, sive minus, nitatur. At cura hæc *minimae probabilitatis* non perfunctorie tractanda est a Philosophis, quia morum cultor certus esse debet de rebus agendis atque omittendis. Talis autem, non est, qui doctoris alicuius autoritatem sequitur. Nam cum oppositi sive periculi, sive erroris formidine agit, & quia peccandi periculum amat, ipse etiam peccasse videtur. Πρῶτον ergo ψεῦδος probabilitatis tenuissimæ, quod nec Antonius Diana *in Tom. VII. Resolut. Moral. Tr. VI. Resol. 24.* nec Ferdinandus a Castro Palato. *in Tom. I. Oper. Moral. Disp. II. Punct. 3.* reticuerunt, in eo consistit, quod *aut nulla aut exigua certitudo sit in rebus moralibus*, varietate circumstantiarum hanc excludente, id quod discussum est §. XVI. Neque obstat, quod maxima pars mortalium *conscientia probabili* regatur: Ergo damnanda non est *cura minimae probabilitatis* in Moralistis. Conf. Hug. Grot. *de J. B. & p. Lib. II. cap. XXIII. §. IV.* Sic enim pueris ac adolescentibus pleraque facienda sunt, quia Parentes, Præceptores, tutores iusserunt. Idem de servis erga dominos, de civibus erga magistratus, & de subditis erga Principem,

cipem, rerum ſuarum ſatagentibus dicendum eſt. Reſp. *Probabilitas* eſt vel *intrinſeca*, quæ veroſimili ratione nititur; *vel extrinſeca*, quæ autoritate alicuius teſtis contenta eſt: Non tam prior, quam poſterior, *tenuiſſimam probabilitatem* fundat, ideoque exploſa eſt ratione, ſuperius adlata, cui addo teſtimonium S. Auguſtini in *Lib. I. de utilit. cred. cap. II.* κατ' ἄνθρωπον diſputaturus adverſus *Probabiliſtas: Quod intelligimus*, ille inquit, *debemus rationi, quod credimus autoritati, quod opinamur errori.* Hinc Seneca inter cauſas malorum noſtrorum retulit *in ep. LVIII. in f. quod vivimus ad exempla*, nec *ratione componimur*. Iam vero probabilis conſcientia, quatenus ratione nititur veroſimili, non improbatur. Deinde inter officia diſcrimen tenendum eſt, quorum alia ſunt *communia* itemque *imperfecta*, alia *ſpecialia* & *perfecta*: in illis ratio etiam *probabilis* ſufficere ſolet; in his *certa* conſcientia, quoad fieri poteſt, exigenda erit. D. Rachelius *in Comment. ad Off. Ciceron p. 101.* Optime tale diſcrimen advertiſſe Cicero videtur *1. Off. 40.* inquiens: *ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facile adparent, nec magnopere admonitionem & præcepta deſiderant. Quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque a multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum.* Taceo, *opiniones falſas*, quas colore *probabilitatis tenuiſſimæ* circumfuſas immiſcent, ut, quidquid ſectatoribus ſuis facere libet, ita liceat. Denique ad animum revocans ex *minima probabilitate* ortam hanc confuſionem, de qua fugienda in præſenti ſtatuo. Quod in *electivo opinionum concurſu* ea ſemper præferenda ſit, quæ ceteris *tutior* eſſe cognoſcitur, quia hæc magis a peccandi periculo agentem reducit. Ac proinde cavendum eſt nonnunquam a *probabiliore, communi*, & ea opinione, quæ *ſpeciem devotionis* ſimulat. Quarum prima in errorem abripere poteſt, quia maior pars ſæpe vincit meliorem. Altera in adulationem cedit, quia moribus populi, cui placere volupe eſt, reſpondet & accomodata eſt. *Ecquis vero placere poteſt populo, cui placet virtus?* Senec. *Ep. XXIX.* Tertia de ſuperſtitione ſe ſuſpectam præbet, cum maxima pars idololatriæ *devotionis ſpeciem* in ſe comprehendat.

## §. XXI.

Cognitis igitur atque evitatis ſcopulis, qui me huc usque ſollicitum tenuerunt, ad *curam* in electione *minimi mali* a Philoſophis *non negligendam*, nunc me converto. Dudum vero eſt, quo in regulam abiit inter Philoſophos: *Ex malis minimum.* In cuius uſu & adplicatione, ne quis in errorem incidat, neceſſe eſt, ut *malorum* inter ſe *diviſio*, æque ac *occaſio*, quam

neceſſitas ſive extrema, ſive opportuna ſuggerit, probe perpendatur. Sunt autem *mala* trium generum, *culpæ*, *pœnae* & *miſeriae*. Malum *culpae* eſt privatio bonitatis a lege adeſſe debitæ, quod contrahitur ſive committendo, ſive omittendo. Id ſequitur malum *pœnae*, quod privatio debiti boni eſt ob delictum, atque rurſus dividitur vel in pœnam *damni*, quæ in pura boni debiti privatione ſubſiſtit; vel in pœnam *ſenſus*, quæ tam privationem boni debiti, quam poſitionem rei moleſtæ includit. Tandem malum *miſeriæ* conſiderandum eſt, ubi privatio debiti boni occurrit, at citra proprium delictum: ideoque innocenti accidere poteſt, ut vulgo dicunt, fortuna hunc præ alio adfligente. Vt ergo, quod paullo ante verebar, errandi periculum effugere poſſim, ita puto colligendum eſſe in *mali minimi* electione. Malum *minimum*, quod eligendum, aut *culpæ*, aut *pœnæ*, aut *miſeriæ* eſt. Non eligendum eſt *malum culpæ*, quia electio *mali minimi* præſupponit occaſionem. Sed hanc, ſub caſu neceſſitatis latentem, prohibitio in delictis excludit. Fruſtra itaque adlegatur neceſſitas, ubi crimen habet voluntas delinquentis. Exhorrui, ſimul ut legi apud D. Jo. Steuberum, virum Theologum, *in Tr. Moral. de Conſcientia & variis eius caſibus cap. I. quaeſt. VI.* eundem permiſiſſe habenti certum propoſitum committendi gravioris peccati, ſin aliter a propoſito ſuo abduci nequeat, illud, quod inter peccata videtur *minimum*, ſuadendum fore. Neque iuvant Steuberum limitationes, quibus circumſepſit ſententiam ſuam, quarum (1) quod talis ſuaſor non inducat ad *minus malum*, qua *malum* eſt, ſed qua *deminutio mali* eſt, quæ deminutio mali mala cenſeri nequeat, eamque ob cauſam produxit Lothi exemplum *Geneſ. XIX. 8.* & teſtimonium S. Auguſtini *ex can. 9. Cauſ. XXXIII. qu. 2.* qui extat *in Lib. II. de adulterin. coniug. cap. XV.* ubi homicidium commiſſuro permittat adulterium, Reſp. Primo hypotheſi falſa nititur D. Steuberus, quod *malum culpae minus reſpectu maioris induat rationem boni:* quam tamen legis prohibitio penitus removet. Unde ſubtilis ille color, quem a delictorum inter ſe comparatione circumfundit, attenta legislatoris prohibentis intentione, protinus diluitur. Poſita iam, non tamen conceſſa & comparatione, & inde orta *deminutione*, neutiquam tamen *electio minimi* delicti hinc ſequitur, ſed utriusque omiſſio prohibita perſeverat. Nam in æſtimatione ac imputatione tam *minimi*, quam *maximi* dedicti, ſalva manente malitia vera, gradus eius ſaltim conſtituuntur. Exemplum quoque Lothi, ex perturbatione profectum haut officit, id quod exinde liquet, quia alienum timendo delictum, non attendit ſuum. Dignum commiſeratione eſt, non imitatione. Reliquas circumſtantias viri Theologi expendant. Denique S.

Augu-

Augustini testimonium non suasionem, sed puram comparationem in se comprehendit. Maius enim censet delictum esse homicidium, ubi vita, quam adulterium, ubi fides tantum violatur. Et quæso ex Patrum dictis, quis unquam morum regulas formabit? (2) quod *intentio bona* eiusmodi suasorem ab imputatione delicti satis liberare queat. Resp. Prolixe ostensum est §. *XIIX. intentionem bonam* actum malum, tametsi *minimum*, in bonum non commutare, adeoque operæ pretium in dictorum repetitione perdere nolo. Sed iudice ipsa veritate, *minima* peccata non permittenda esse, autumo, ut *maxima* vitentur. Ad *malum* igitur *pœna* redeo, & circa hoc *minimorum* curam subituri Philosophi, distinguant inter *nocentis* atque *innocentis* electionem. Innocenti, ne *minima* quidem *pœna* eligenda est, quia cavere sibi debet, ne tali optione in criminis veniat suspicionem. Secus est in nocente, cui electio *minoris pœnæ* in veniæ partem cedit eoque modo rationem boni habet. Hinc Princeps Condæus, cuius idemtidem mentionem facit Gabriel Barthol. Gramondus *in Libr. VI. Histor. Gall. p. 306. seqq.* cum sibi a Carolo IX. Galliarum Rege optio daretur, ut aut Missam eligeret, aut mortem, aut carcerem perpetuum, prudenter admodum & laudabiliter respondit: Primum DEO iuvante nunquam eligam: duo reliqua Regis arbitrio permitto: sic tamen, ut bene sperem, DEum hæc quoque sua paterna providentia gubernaturum. Intelligebat, quæ animi erat prudentia, *malum culpæ*, ut impium, omnino esse repudiandum: ex malis autem pœnæ sibi innocenti neutrum esse eligendum, ne sceleris suspicione se immerentem oneraret. Restant vero *malæ miseriæ*, in quibus spe evadendi plane deficiente, *minimum* sine discrimine eligendum puto, quia illud rationem *boni* induit, sive in publico, sive in privato periculo quis versetur Hug. Grotius *de J. b. & p. lib. II. cap. XXIII. §. II. & L. III. cap. XXIII. §. V.* Quæ vis periculi tanta est, ut, licet via elabendi adfuerit, anxietate tamen animi impediente, quominus quis eamdem circumspicere potuerit, obtentus necessitatis sufficiat. Quod enim non adparet remedium pro eo est, ac si non existat. Plura, quæ electionem *mali* huius *minimi* illustrare possint, adferre non lubet, Pufendorfio mihi de his otia faciente in *lib. I. de I. N. & G. cap. VI. tot.*

§. XXII In primis vero hæc *cura minimorum* incumbit Philosophis, circa latentium adfectuum signa occupatis, sive *in Philosophia morali* ea conquirant, sive a *Physiognomia* oblata sponte accipiant. Etenim illic *vel factum minimũ*; hic *minima vultus circumstantia* talia signa ac documenta præstare possunt. Quæ non ad *prudentiam* modo conversandi, sed & ad sui aliorumque *emendationem* mirifice faciunt. In *factis*, etiam *minimis*, ut hæc cura Philosophis ex voto succedat, quidam ineatur selectus. Sic alia sunt *deliberata*, alia *fortuita*, non tam priora factam, quam posteriora latentes protrahunt adfectus. Nam, adulatione sui homines semel corrupti, adfectus suos factis ac verbis *deliberatis* excusare solent, ut prodigus se iactet liberalem, audax glorietur de fortitudine sua, Seneca teste *in ep. XLIX. & CXX. Fortuitis* autem ad sui proditionem cooperantur, nisi extreme sint stupidi aut improbi. Deinde facta vel ex naturæ *inclinatione* vel ex *imitatione* suscipiuntur: illa tantum adfectus occultos cuiusque propios; hæc adfectus seductoris indicant. Denique facta alia fiunt ex *beneplacito*; alia *urgente* ac imperante *officii necessitate*, rursus non hæc, sed illa adfectus ostendunt: quoniã quæ temperamentũ sequuntur, signa sunt arcanorũ animi adfectuum, non ea, quæ iuris & vocationis cuiusq; suæ ordinem impletura sunt. Neq; ad rem pertinet obiectio: *Temperamentum* purum non datur in homine: Ergo ex temperamento investigari nequeunt occulti adfectus. Resp. In *temperamento* dantur *gradus*, quod ad mixtionem humorum cum san-

guine attinet, quorum uno alterove prævalente adest indicium occulti adfectus. Hinc illa mixtio humorum non tollit iudicium discretivum de adfectibus, sed in iudicante excitat ac præsupponit aliquam circumspectionem. Sic *temperamento* sanguineo-choleri co præditi rebus iucundis delectantur, eorumque amore ducuntur: ut tamen hunc adfectum ita cohibeant, ne in luxuriam abeat, sibi dedecori futuram. Quæ signa, a factis petita *minimis*, secum trutinans Seneca in *ep. XII.* in hæc verba erumpit ac *curam minimorum* Philosophis inculcat: *Argumentum morum, ex minimis licet capere; impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & unum interdum responsum & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum.* Non ignoro, ut *minima* a Philosophis negligi ea signa, quæ ex *Physiognomia* eruuntur pro cognoscendis occultis hominum adfectibus. Quorum alia statura & habitus corporis, alia in eo partium singularum situs, figura, color ceteræque circumstantiæ repræsentant, quæ præter Scipionem Claramontium, suos etiam errores passum, de coniectandis latitantibus animi adfectibus *in Lib. VI. & VII.* paullo adcuratius expendit Paulus Nicquetius *in Pysiognomia humana L. II. cap. III. seqq.* Sit exemplum de *facie*, quam ut *morborum* indicem adcuratissimi Medicorum spectatum accedunt commendantque discipulis suis vid. Celeberr. D. Stahl. *in Disp. de hoc argumento*; ita nemo mihi vetuerit, quo minus in ea *frontem*, ut *animi*, in eaque *latentium adfectuum*, ianuam recludere ausim. Conf. Christianus Jacobi *in Metapologia cap. II. seqq.* Ut quadrata designet bonam indolem, aspera temeritatem, rugosa aut concava studium eminendi, depressa timidum, nebulosa invidum & occultis fraudibus intentum. ut, ad finem properando, reliquas coniecturas taceam. Quod autem de *fronte* adserui; id multo magis de integra corporis *statura* profiteri possem, nisi cura *minimorum* & limites dissertationis retraherent. Interim quantæ tam *minima*, quam *maxima* corporis *statura* curæ sit non Philosophis solum, sed & in ipsis Regum aulis valeat, e duobus exemplis percipere licet, quorum Plutarchus, non vanus scriptor, *in Agidis & Pyrrhi vita meminit.* Equidem de Agide narrat, Rege Lacedæmoniorum, *pusillam* ducente *uxorem*, noluisse Ephoros eius liberos admittere ad successionem regni, hac moros ratione, ne *Regulos* potius, quam *Reges* procrearent. Contra vero Pyrrhus, Epirotarum Rex, ut *procerus* erat, ita ad militiam *proceros* homines eligi volebat, ac circumfertur dictum delatori suo: *Grandes elige, ego fortes reddam.* Adeo necessariam putaverunt *staturam*, cuius in explorandis moribus futuris ratio haberetur.

§. XXIII. Sed ulterius me progressurum in *cura minimorum*, quæ a veris Philosophis nunquam negligenda est, ingens rerum multitudo impedire videtur. Cum ad Politicæ, Physicæ ac Pneumaticæ fines excurrendum foret, in quibus plura eaque eximia *rerum minimarum* exempla obveniunt, quæ Philosophis curæ cordique esse debent, nisi propositi sui in hoc artium genere iacturam facere velint. Quis enim tam *conversandi*, quam *imperandi* prudentiam sine *minimorum* cura absolvit? Quis ortum, motum, augmenta, decrementa & interitum corporum in Physicis intelligere potest, nisi adsiduam in *minimis* quoque *curam* adhibendo? Quis denique DEi aliorumve spirituum existentiam, præsentiam & efficaciam penetrbit, nisi *maximum* quærat *in minimis*? DEo igitur, vitam mihi viresque clementer prorogante, propediem editurus sum aliam dissertationem, quæ, residuam hanc *minimorum curam* ex dictis disciplinis suppletura, quam clarissime ostendet sub hoc titulo, *necessariam minimorum in maximis curam.* Faxit DEVS, qui *in minimis* etiam *maximus* adparere voluit, ut in nominis sui gloriam cedant, quæ huc usque disserui, & in posterum sum prolaturus.

FINIS.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

| | | |
|---|---|---|
| | | |

SLUB DRESDEN
3 0507195

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id425781240/43
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id425781240/44
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG